

3

AYMARI RI- VALLII AL- LOBROGIS,

*

Iureconsulti eruditissimi eloquentissimiq.,
Ciuilis historiæ Iuris, siue in XII. Tab.
Leges commentariorum libri quinque,
iam denuo diligenter recogniti.

Historiæ item iuris Pont. liber
Singularis.



LVGDVNI,
APVD IOAN. TORNAESIVM,
ET GVIL. GAZEIVM.

M. D. LI.

AYMARI RI

VALLI AL

LOBROGIS

*

Inventarij eruditissimi & opulentissimi
Civitate hujus juris, duo in x. l. Tab.
Lecti commentariorum libri quinquē
tam deo digni & recogniti.

Historia item juris P. or. liber
Singula.



EVGDVNI
ARVDIOAN. TORNAESIVM.

Ob. 6. II. 3359

7
3

ILLVSTRI AC MA

GNIFICO VIRO ANTONIO

A PRATO, PRAEESTAN-

tissimo Galliarum Cancellario, & Iuris-

consulto celeberrimo, Aymarus Ri-

uallius Delphinensis.

S. D.



A I V M Iuris peritum secutus dignissime Cancellarie, nefas semper existimaui neglecta Iuris historia, uelle civilem, aut Pont. disciplinam adipisci, praesertim cum de abrogatione & iuris derogatione agitur. Nam cum posteriores leges prioribus contrarijs abrogent, si ignoremus qui legumlatores praecesserint, qui uel secuti sint, haud facile sciemus, quae quibus derogent. Praeterea historia euidentiore iuris praestat intellectum, & alias in sapientia civili ac Pont. utilitates affert, quae lecta utriusque iuris historia patebunt. Quare his adductis rationibus, Italiam peragrando coniungere quinque libris ius & historiam Romanorum primo enixus sum. deinde singulari libro iuris Pont. explicare historiam uolui. Quos ut praestantissimi hominis & omni uirtute praediti tutelam habeant, sub tuo nomine aedimus, & tibi qualescunque fuerint, legumlatorum ueterum exemplo dedicamus. Illi enim quos saepe leges forent sanctiores, ad aliquod numen eas referebant, ut Minos, Lycurgus, Solon, & Numa Pompil. qui ad Iouem, Apollinem, Mineruam & Aegeriam suas leges retulerunt. Ita quo mei libri maiorem habeant autoritatem, eos tuam ad dignitatem referimus. Es profecto ut ab incly-

A 2

to Del

to Delphinatus præside magnifico Iafredo Carolo milite
strenuo sæpius inter loquendum accepi, omnium disciplina-
rum pater fautorq; ac in omni uirtute, & rerum experien-
tia præstans. Vnde cum summa laude & iustitia omnis mi-
nores & medias Gallie dignitates iureconsulto aptas pri-
mo obtinuisses, & tu in illis periculum fecisses, merito tan-
dem ad summam cancellariatus dignitatem peruenisti. No-
strum igitur opus tanti uiri protectione munitum, apud
omnes plus fidei, & autoritatis habebit, & audacius in lu-
cem ueniet. Scio certò quod non deerunt qui uaria de eo
sentient, cum neq; commentarijs eloquentissimi Cæsa-
ris pepercerint. Ciceroni enim placuerunt. &

Hirtius eos cum admiratione probauit, sed
positos putauit. Ast saltem liuidi pro-
pter tuam autoritatem tace-

bunt, & tui ingenij præ-
stantia, quo perfe-

ctam omnium

fermè di-

sci-

plinarum cognitionem nactus es,

confutabuntur.

Vale.

VOCABVLORVN QVORVNDAM
 EXPLICATIO, IDQVE VT
 RVDIVM TYROCINIO
 CONSVLATVR.

Aristocratia, species quædam est Reipublicæ ubi opti-
 mates & delecti nobiliores dominantur, qualis hodie Ve-
 netorum fertur Respublica.

Democratia, ubi populus imperium habet, qualis Ge-
 nuensium est respublica.

Oligarchia ubi pauci imperant, quævis tyrannorum Re-
 spublica fuit Atheniensium.

Timocratia, ubi multitudine regitur ciuitas & guber-
 natur.

Monarchia in unius modò imperio posita. Imperium au-
 tem simplex non est, sed in multas scinditur species. Ex
 duabus quidem primis una religioni præest uniuersæ
 Christianæ, hæcq; summi uere Pontificis, quippe ad reli-
 gionem quæ attinent, summum Pont. iure omnia respi-
 ciunt. Sed quoniam cunctarum prouinciarum atq; ciuita-
 tum res sacræ summo Pont. innotescere non potuere, Ar-
 chiepiscopi, & episcopi, ea qui procurarent iure à maiori-
 bus instituti sunt. Quæ autem populorum libertatem, facul-
 tatesq; tueri debet, duplex est, una Regis nomine appellata,
 altera Imperatoris. Regem Satrapæ deligunt. Eorum cura
 debet esse præcipua, ut quibus imperent ab eis longe omnis
 absit iniuria. iuste, ac modeste cuncta tractentur. uirtus
 ubiq; extollatur. uitium & omnis improbitas aut capitis
 diminutione deprimatur, aut morte puniatur, aut multa
 omnino aliqua plectatur. suis de se optimum præbeat exē-
 plum, ut quammaxime fieri possit, ne qua mali possit obori-
 ri suspicio. Imprimis uerò, ut uis absit omnis, auaritiæq; at-

que immanitas, & quae in multis cernitur crudelitas, quae tyrānorum est peculiaris. ut enim Regis nomine dignatur, quicumq; subditorum suorum res aequè ac suas charitate profsequitur, ita contraria faciens, non iniuria tyrānus dici potest. cuius siquidem est, ut Isocrates inquit, ex alienis laboribus, detrimentisq; ac cruciatibus uoluptates aucupari, in eisq; immergi atq; uolutari. Imperatori quoq; multos subesse magistratus par fuit. asciuit is sibi alios duces appellando, alios Marchiones, quos reor Demarchos ueteres dixisse, Comites, quos Graece comarchos crediderim esse nuncupatos, ita alij sub alijs. Diuina etenim prouidentia administrationes nullae, aut ulli status hominum recte improbari possunt, sed homines tantum qui demādatum sibi adeo munus non obiter ut debent custodiant. subditorum igitur est principibus & maioribus suis seruire ex diuino iussu.

Iustitia est uirtus seu aequitas unicuiq; sua secundum dignitatem distribuens. Iustitiae suum est iustum administratorem, ac distributorem secundum singulorum dignitatem esse, patrios mores seruare atq; constitutiones, scriptis obsequi legibus, in controuersijs uera proloqui, pacta & conuentus custodire. At prima ac praecipua erga deum iustitia est, secunda erga patriam & parētes, tertia erga domesticos.

Ius, unde iustitia, primo tum diuinitus traditum citra medium ullum, tum natura media quae conscientia nostra à deo profectum. deinde consuetudine quadam ex utilitatis ratione uenerunt. post eas res, & à natura profectas, & à consuetudine probatas ius ciuile & religio sanxit.

Ius diuinum quod à Moysse nobis relictum.

Ius naturale quod omnes nationes natura docuit, ut est maris, foeminaeq; copula, unde liberorum procreatio & educatio, ex quibus religio, pietas, charitas, gratia, fides, uindic

uindictio, obseruantia, ueritas.

Ius gentium, quod quidam consuetudinem dixere, omni humano generi commune est. unde introducta bella, discretae gentes, regna condita, dominatus distincti, agris termini positi, aedificia collata, commercia, emptiones, uenditiones. In hoc etiam genere hominum esse genera coeperunt liberi, serui, libertini, hinc pactum, par, iudicatum, manumissio.

Pactum quod inter aliquos conuenit.

Par quod in omnes æquabile est.

Iudicatum de quo alicuius, aut aliquorum iam sententijs constitutum est.

Manumissio libertatis datio, quæ uel testamento, uel ære, uel uindicta fieri solebat.

Ius ciuile est quod legibus, senatusconsultis, rebus iudicatis, iuris peritorum autoritate, plebiscitis, decretis, placitisq; principum, edictis magistratuum more æquitateq; consistit.

Lex est quam populus centuriatis comitijs ascieuerit. Et sapientissimorum sententia fuit, legem nec hominum ingenijs excogitam, nec scitum esse aliquod populorum, sed æternum quiddam, quod uniuersum mundum regeret imperandi prohibendiq; sapientia. Leges ad salutem ciuium ciuitatumq; incolumitatem, uitamq; hominum & quietam & beatam condite sunt. Vnde Thrasibulus ille Athenien. cui fide, constantia, magnitudine animi, & in patriam amore nemo facile præferendus, pro ciuium stabilienda pace, obliuionis legem iniuriarum, non minus recte quàm sapienter tulit, ne quis ante actarum rerum accusaretur, ne uel mulctaretur, omnesq; in hanc, præteritarum iniuriarum mentionem fieri uetantem, iurare coëgit. Quo facto concussum ciuitatis statum, & labentem pristinum in habitum

reuocauit, omnemq; discordiarum memoriam obliuione sempiterna deleuit.

Senatusconsulta sunt quæ senatus autoritate fuerunt decreta.

Iurisperitorum autoritas est eorum, qui ex XII. tabu. uel edictis magistratum ius ciuile interpretati sunt. deinde probatæ ciuium iudicijs creditæq; sententiæ.

Plebiscita sunt plebis decreta, quæ reuocata plebe post se cessionem per discordiam inter ciues factam, pro legibus habita, ut lege Hortensia inter plebiscita, & legem species constituendi interesset. potestas autem eadem esset.

Decreta placitaq; principum à quibus prouocandi ius non est.

Edicta magistratum sunt quæ prætores urbani, uel peregrini, uel ædiles curules iura dixerunt.

Responsa prudentum sententiæ sunt & opiniones iuriconsultorum, quibus à principe permissum, & autoritas erat iura & leges condere.

LEGES XII. TAB. CICERO IN de Orat. I. his uerbis extulit.

Præpotens & gloriosa, inquit, philosophia fontes habet omnium disputationum suarum, qui iure ciuili & legibus continentur, quarum autoritate nutuq; docemur domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere. Fremant omnes licet, dicam quod sentio, bibliothecas Mehercule omnium philosophorum unus mihi uidetur XII. tabu. libellus, si quis legum fontes & capita uiderit, & autoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare.

Furta

VOCVM ET RERVM INDEX
ordine alphabetico congestus.

Adrianus Imp.	218	Atteius Capito	252
Aruspicium Iuriskon.	264	Augurum ius	50
Aedilium origo & pote- stas	78.79	Augustus	208
Aegrotus in ius uocatus	131	Aurelianus	232
Aelius Pertinax	223	Aurelius Probus	233
Aes confessum	134	Auri argentiq; signandi po- testas trib.	77
Aes, aurumq; signat.	75	Auspicia patrum	90
Aes nota pecudis signat.	9	Auspicia quando observa- ta	53
Africanus	262	Autoritas æterna	146
Alexander	227	Caius Cæsar	210
Allocutio templum	59	Caius Cass. Long.	254
Alphenus iunior	264	Caius Cass.	255
Anastasius Diaco.	245	Caius	260
Ancus Martius	7	Callistratus	263
Antonini Cōmodus & Bas- sianus	222.225	Capitecensi	126
Aqua pluuia arcenda	144	Carus	233
Arcadius	241	Cass. alter long.	255
Arcadius Iuriskon.	259	Castratis pueros pœna	137
Arbor prædio nocens	133	Cælius Sabinus	255
Arbores furtim cæsæ	143	Celsus	262
Arcera	131	Censorum origo	80.81
Aristo	256	Censori. quib. lex iubeat	116
Aristocratia	3	Censura supremus magi- stratus	81
Arrianus	256	Censualis	199
Aruspicium disciplina	58	Centorio	76
Arsidius	123		
			Chri

Christus Tib. tempori. qua-	Domitius Vlpianus	262
re inter deos nō receptus	Donum capere præsidi non	
31	licet	112
Christi numen Alexander	Duplio	137
inter Max. deos habuit	Ducenarij	76
ibidem	Edicta prætoris	72
Claudius Cæsar	232 Emendi uendēdiq; origo	10
Claudius	211 Erciscundæ fam. actio	122
Cocceius Nerua	216 Expiatio	59
Comitia	143.144 Fabius Sabinus	262
Connubia patrum à pleb. se-	Feriarum festorumq; gene-	
parata	90 ra	36
Consules primi unde dicti	13 Filius arte carens	21
Consulatus initium	13 Filium uendere lege permis.	
Consulum origo	84.85 169	
Constantius	236 Flamines uarij	47
Constantinus	236.237 Florentinus	263
Curtius in specum	59 Fruges excantantis pœna	
Decius	230 140	
Democratia	2 Fruges secantis pœna	142
Decreta principum	204 Fulgurum genera	58
Dictatoris inuentio	89 Furta per lancem & licium	
Didius Iulianus	224 23	
Dij domestici, peculiare	33 Furta uarij generis quomo-	
Dij separati prohibiti	30 do punita	ibidem
Dij caste adeundi	28 Galba	213
Diocletianus	234 Gallus Trebonianus	231
Discessio	196 Genas radere mulieres lege	
Domitius Labeo & Arist.	prohibentur	123
256	Gordianus	229
Domitianus	215 Hadrianus Christo tēpla cō-	
	dere	

dere coepit	31	Ius Honorarium	200
Herennius Modestinus	263	Iusti dies	136
Hermogenes	244	Iustinus Thrax	245
Hermogenianus	261	Iustinianus	ibid.
Hostes peregrini, perduel- les	148	Iustitia	i
Hostiarum genera	42	Iuuianus	239
Iabolenus	257	Labeo Antistius	253
Imperia, potestates, legatio- nes	90	Lex iuris ciuilib prima spe- cies	12
Imperia & suffragia empta	115	Legis definitio	ibi.
Incestus	62	Leges uariae latae	14. 15. 16
Iniuriam facientis poena	19	Leges Solonis	16
Intestat. hereditas	118	Leges sumptuariæ e Lycur- gi rhetris	25
Intestabilis	147	Leges Lycurgi	27
Iulius Cæs.	160	Lex Spartanorum	27
Iulianus	238	Lex quæ coli iubeat	33. 34.
Iulius Iubentius Celsus	256	35	
Iulius Paulus	260	Legem iure non rogatam au- gur tollere potuit	51
Iulius Frontinus	264	Leges tabellariæ	101
Iulius Paulus poëta	125	Lex de promulgatione, re- bus agendis	111
Iudicum poena	129	Lex x. uiralis	23
Ius naturale gentium & ci- uile	i	Leges xii. tab.	152
Ius scriptum	2. 25	Legum xii. tab. ius August.	
Ius non scriptum	2. 25	Po. Ro. ampliauitq;	153
Ius scriptum ab Atheniens.		Lex Aelia Sentia	ibi.
ibidem		Lex Valeria & Horatia	
Ius non scriptum à Lacedæ- monijs	ibi.	155	
		Lex Aemylia	156
		Lex	

Lex Papyria	157	Lex Iulia	171
Lex Manlia	ibi.	Lex Papia Popea	ibi.
Lex Sacrata <i>militaris</i> quæ & Valeria	ibi.	Lex Icilia & Duillia	175
Leges Publicæ	ibi.	Lex Canuleia	176
Lex Petilia	158	Lex Genutia	177
Lex Valeria & Porcia	ibi.	Lex Attilia	178
Lex Pompeia	ibi.	Lex Claudia	ibi.
Lex Fabia	159	Lex Voconia	ibi.
Lex Annaria	ibi.	Lex Oppia	179
Lex Aterina	160	Lex Plotia	ibi.
Lex Cincia	ibi.	Lex Orchia	ibi.
Lex Acilia	ibi.	Lex Horatia	180
Lex Papia	ibi. & 161	Lex Attinia	ibi.
Lex Latoria	ibi.	Leges Gracchorum	182
Lex Licinia & Mutia	ibi.	Lex Helia & Fusia	183
Lex Licinia	166.167.176	Lex Clodia	ibi.
Lex Hortentia	162	Leges triumphandi	ibi.
Lex Satyra	163	Lex Manilia	186
Lex Scantinia	ibi.	Lex Othonia	ibi.
Lex Apuleia	164	Leges Apuleiæ	187
Lex Calphurnia	ibi.	Lex Sulpitia	ibi.
Lex Fannia	165	Lex Oguinia	ibi.
Lex Didia	166	Lex Manilia	189
Leges Corneliæ	168	Lex Falcidia	190
Leges Cassiæ	ibi.	Lex Aquilia	191
Lex Cornelia	169	Legitimus infans	123
Lex Pueritia	ibi.	Leo	244
Lex Iudiciaria	ibi.	Lessus	123.128
Lex Roscia	ibi.	Libertus intestatus	137
Leges Pompeiæ	170	Libripens	145
		Licinius Valer.	231

Macer	259	sus	9
Macrinus	226	Oligarchia	2
Magistratus	86	Oscina	57
Magistratum leges, officia		Otho	213
73.74		Papinianus	258
Magistratus uarij in exer-		Papyrius Fronto	259
citu	ibi.	Patrij ritus colendi	62
Magistratus minores	ibi.	Plebiscita	172
M. Antoninus	221	Floratus in funere	19
M. An. Florianus	233	Pomponius	261
M. Iul. Philippus	230	Portetorum interpretes	46
Marcellus	257	Potestas par maior'ue	74
Martianus Imp.	243	Prætorum edicta	199
Martianus Iurisconsul.	258	Prætoris inuentio	107.199
Martis in ædem triumpho-		Prinipilus	76
rum insigna illata	56	Proculus	254.264
Massurius Sabinus	254	Prodigia	57
Mauricianus	258	Proletarius	123
Maximinus	229	P. Annius Tacitus	233
Maximus	260	P. Furius Anthianus pater	
Mendicare lex prohibuit	62	259	
Mætianus	264	Puteolanus	264
Menander	258	Quadrupes	23
Militum manus Trib. con-		Quæstorum potestas	103
tineat	77	Q. Saturninus	264
Nero	212	Regia respub.	2.3.
Nerua Iurisconsultus	254	Religio	62
Nerua filius	255	Rhetra Lycurgi	25
Neratius Priscus	255	Responsa prudentum	249
Numa Pomp.	5	Rogus	18.19
Nummus quando percuf-		Ro. reges	3
			Ro.

Ro. Imp. initio regum	ibi.	gnauit	9
Romulus & Remus	ibi.	Sextus Cæcilius	260
Romulus iure populum age		Sextus Pedius	264
re docuit	5	Signiferi	76
Romuli leges	5	Sonticus morbus	143. 145
Romulus inter deos	34	Sorores filiæ uæ in stupro de	
Romani ante pugnae initiũ		prehensæ uẽdebantur	22
deos adorabant	53	Species Reipub. tres	2
Ruffinus Iurisconsult.	259	Status dies	145
Sacrificia nocturna	59. 60	Statuliberi	151
Sacra Cereris	ibi.	Suffragia	98
Sacrum furantes parricidæ		Suphus	264
62		Supplicatio	59
Sacerdotum descriptio	50	Talionis poena	131
Salij	72	Tarquinius Priscus	8
Saluius Iulianus	257	Tarquinius Superbus	11
Senatusconsulta	191	Tarruntius Paternus	258
Senatusconsulta tacita	199	Tertullianus	256
Senatusconsult. faciendi mo-		Terentius Clemens	258
duS	196	Theodosius	241
Senatus decretum ad Rubi-		Theodosius iunior	242
conem	194	Testimonium fal. dicētis poe-	
Senatusconsult. in portu Ari-		na	133
mini	ibi.	Testator	146
Senatoris officia	107	Testamentum per æs & lib.	
Sepulcra uiolantiũ poena	69	193	
Sepultura in urbe prohibita		Tiberius	209
18		Timocratia	2
Septimius Seuerus	224	Titus Vespæ.	214
Serbidius Scaeuola	258	Titus Aurel. Anto.	220
Seruius Tull. primus æs si-		Tribunorum officia	76
		Trib.	

Trib. pleb. potestas	94	Vestales	48
Triphenianus	263	Victoriatus nummus	9
Tullus Hostilius	7	Vindius	258
Tutores tutela	23. 119. 120	Viri cur sceminis semita ces-	
Valdensium superstitio	61	serunt	15
Valentinianus	239. 240.	Vitellius	213
242		Volusius Matianus	257
Valens Iurisconsul.	257	Vota deuict. host. soluta	56
Varius Antoninus	227	Vlpianus Traianus	217
Venuleius	263	Vlpianus Iurisconsultus	258
Verus	258	Zenon	243
Vespasianus	214		

INDICIS FINIS.

AYMARI RI-

VALLII ALLOBROGIS

HISTORIAE IVRIS

CIVILIS LIBER

PRIMVS.

*

IUSTITIA.



IUSTITIA, Aristot. testimonio,
est uirtus, qua homines iusta uolunt
ac operantur. Et est duplex, legitima
& particularis. Legitima omnes cō-
plectitur uirtutes, & per eam ali-
quis leges in omni uirtute conditas
decernit, & decretas cum conditis

executioni mandat, studiumq; in beatam uitam, & commu-
ne bonum dirigit. Particularis autem iustitia, ab alijs est
uirtutibus distincta species, & ei reliquæ uirtutes omnium
philosophorum opinione cedunt, quam speciali nomine ali-
qui æquitatem quoque appellant. per hanc enim mortalis
homo ius suum unicuiq; tribuit, quo nihil est sanctius, nihil
æquius, nihil quoq; utilius. Ius autem cuiusq; e naturali iure
cognoscitur, gentium, aut ciuili. unde si secundum hæc ege-
rit, iusti fungetur officio. Sed omissio iure naturali, quod
nec bruta quædam ignorant, & gētium, quo omnes huma-
næ gentes utuntur, ut scribit Vlpianus lib. digest. primo,
contentus ero iuris ciuilis originem nunc inquirere, quod
populus Romanus sibi constituit. Claruit proculdubio gens
illa ante alias omneis iustitia legitima, qua tam æquum ius
ciuile sibi constituit, ut omnes ferme gentes id admiserint.

a

ciuis

cuius scientia, ut dixi, ius intelligens homo cuiusque æquitatem quoque habere & servare, id est, ius suum unicuique tribuere poterit. Constat autem hoc ius civile Romanorum ex scripto, & ex non scripto. Ius scriptum, ut Papinianus tradit, è legibus venit, plebiscitis, senatusconsultis, magistratuum edictis, decretis principum, & autoritate seu responsis prudentum. Quorum autores, & initium, originemque nunc referre est animus, quod non paruo fuerit adiuumento ad civilis discipline intellectum, si Caio nostro de origine iuris credimus.

TRES REIPUBLICAE

SPECIES.

Treis esse species Reipublicæ Aristoteli lib. Polit. tertio visum est, quædo scilicet qui his præsent, iustitiam colunt legitimam, qua inferiorum commodo & honestati student, leges, prout civilis dirigit prudentia, circa materiam cuiuscunque virtutis condendo, conditas decernendo, & decretas cum conditis executioni tradendo. Nam aut penes unum est civitatis gubernatio, & Regia dicitur Respublica. Aut apud paucos & Aristocratia nominatur. Interdum autem multi civitatem gubernant, & tertia est Reipublicæ species, quæ Timocratia appellatur. Quod si amissa iustitia, utpote nullas leges æquas condendo, aut indulgentia malos mores pullulare sinendo unus, pauci, aut multi imperio præsideant, & propriæ utilitati studeant, totidem species præscriptis rebus publicis oppositas constituunt, quæ tyrannis, Oligarchia, & Democratia appellantur. Regia enim Respublica, ut particulatim & distinguamus & loquamur, est dominatio unius non proprio, sed regni intendentis bono communi, rexque qui ei præest, appellatur.

Moravia.
Apisthgalia.
Suohgalia.

1.

tur. Sed tyrannis regie opposita, est principatus unius suo quidem proprio & non regni subditorumq; bono intēdētis, & qui ei præsidet tyrannus dicitur. Secunda reipublice species quam Aristocratiam nominauimus, est quum per studiosos & optimos ciuitas regitur, huius moderatores magistratus, & optimates dicuntur. Sed in Oligarchia pauci, & quidem prauī non secundum dignitatem bona distribuentes, ciuitatem gubernāt. Timocratiam uerò multi mediocres Reipublice curam habentes constituunt, quando omnium utilitati student & cōsulunt. Quod si plebeiorum duntaxat commodo uacent, Democratiam constituunt, Timocratiae aduersantem. Has autem treis respub. apud Romanos seriatim fuisse, hisq; præsidentes iura constituisse ostendemus. Constat enim gentis huius imperiū reges primum tenuisse, & ante Romulum nemo id habuisse traditur, qui e Rhea Syluia à Marte fuit cum Remo susceptus, quod quantum ueritatis habeat, studioso huiusmodi rerum inquisitori relinquimus. dicere etenim de eo, & regibus ceteris tantum proposui e Liniō, Dionysio, Eutropio, Plutarcho, Eusebio, & alijs historicis, quod ius Romanorum ciuile exigit: & in breuitate Cornelium sequar Nepotem de iuris illustribus, nisi iuris ciuilibus faciēda declaratio me ali quando prolixius scribere ceperit, huic enim magis intendam, quā historiae contextui.

PRIMI ROMANORVM.

REGES SEPTEM.

Romulus & Remus fratres primū à lupa, mox ab Aca Laurentia Faustuli pastoris cōiuge educati: Amulio interfecto regnum Numitori auo restituerūt. Ipsi coactis pastoribus urbem condiderunt, quam Romulus uultu-

2.

3.

1.
Regia
p̄stas apud
Rom.

rum augurio uictor, Romam uocauit, & ne quis uallum illius transiliret, edixit: quod Remus irridens transcēdit, & ideo à Fabio Celere centurione raſtro fertur occiſus. Romulus deinde coniugij gratia finitimorum uirgines, quæ prætextu ludorū quos ſimulauerat, Romam uenerant, iam legatis negatas rapuit. Hinc primū bellum Ceninenſes mouerunt, quos, Romulus ſubegit. mox Antemnates, inde Cruſtuninos bellum inferentes ſudit. Nouiſſimum bellum eſt à Sabinis ortum: inter quos & coniuges pacem raptæ conciliarunt, & ſœdere percuffo eos in urbem Romulus recepit. Centum ſenatores, quorum cōſilio uteretur, deeligit: & ut Fenestella de magiſtratibus tradit, eos ab honore patres, ab ætate ſenatores appellauit. Treis equitū centurias inſtituens, de ſuo nomine Ramnēſes, à Tito Tatius Titienſes, à Lucumone Luceres appellauit. Populum in tres Tribus diſtribuit, & ſingulis præfectos duces, Tribunos nominauit. Tribubus ſingulis in decem curias partitiſ, totidem curiones eis præfecit. Pomponius curias Romulum ideo diſſiſſe ſcribit, quod reipublicæ curam per ſententias earum partium expediebat, & ita leges aliquot Curiatas ad populum tulit. Fuerunt in decurias ab eo diuiſæ etiā curiæ, quas decuriones tuebantur. omnium primus cum certo iure populū agere docuit, his & alijs latis legibus. Vt mulier quæ uiro per ſacras leges cōiuncta eſſet, pecuniarum omnium, ſacrorumq; ſocia eſſet: uiroq; defuncto, ut filia patri ſuccederet: & ut filius toto uitæ tēpore in patris poteſtate foret, quem caſtigare, uerberare, operiq; dare ruſtico, & occidere poſſet. Sed & uendere filium permiſit. hanc uiri decem poſt reges exactos in decē tabulis alijs cum legibus ſecundum Dionyſium cōſcripſerunt. Vxori uirum relinquere alia lege Romulus, ſi Plutarcho credimus, prohibuit.

Sed

Leges à Rom. tulit

7

Leges à Rom. tulit

Leges à Rom. tulit

Leges à Rom. tulit

Sed uiro uxorem repudiare permisit, si in ueneficio natorū aut in adulterio, aut in clauium adulteratione deprehensa foret. quod si aliter quis eam repudiasset, eius copiarū partem uxori dari, partem Cereri sacrā esse iussit. Sanxit etiā de mulieribus supplicium sumi quæ uinum bibissent. proinde ex instituto cognatis osculū ferebant, ut si uinum bibissent, odore deprehendi posset, sicut ē Gellio, Catone & alijs didici. & forte propterea Cæsari cum mane ad comitia habendi pontificatus gratia descenderet, mater osculū dedit. Insuper quum populū in patres & plebeios Romulus rursus diuisisset, & hi illorum patrocinio uterentur, uicissim eos proditionis lege quā sanxerat, teneri uoluit, si sese accusassent, contra uerū testimonium dixissent, uel suffragium tulissent aduersum, aut cum inimicis foedus percussissent. Annum in decem menses diuisit. primum quoq; Martium ē patris nomine appellauit: & ut annus trecentorum quatuor dierum esset, cōstituit. Menses in Calendas, Idus & Nonas post distributi sunt, quorum rationem Ouid. in Fastis, & Macrobius diligenter in Saturnalibus explicant. Mortem quinto & quinquagesimo ætatis anno, regni septimo & trigesimo obiit. at qualiter perierit, certe nihil dicere ausim, Liuius, Dionysius, Halicarnaseus, & alijs de hac re disceptantibus. Sequenti anno nullus rex creatus fuit.

Hinc oscula

N V M A P O M P I L I V S.

NVma Pompilius Pomponij filius, omnium postea consensu rex creatus: nullam belli expeditionem suscepit, sed sacrā plurima instituit. Maximum enim pontificem, flamines treis Dialem, Martialē, Quirinalē, & alios Martis sacerdotes duodecim creauit. Confectis Vestæ ædibus uirgines Vestales legit, quas in delictis minoribus à pontifice

pena incestus

tifice uerberibus affici, ob incestum autem uiuas defodi imperauit, qui mos etiā post reges exactos seruatus est. Nam & P. Licinius pontifex maximus uirginem quandam Vestalem, quæ nocte quadam æternum ignem incuriose nimis seruauerat, longe post flagro admouit: & incestus causa defodi Corneliam uirginem maximam Domitianus imperator iussit. Diuini cultus institutionem in octo partes Numa diuisit, quas totidem ministris partim à se, partim à Romulo creatis, tradidit: curionibus scilicet triginta, flaminibus, celerum ducibus, auguribus, uirginibus Vestalibus, Salijs, sœcialibus & pontificibus. Ianum belli pacisq; indice fecit, ut apertus bellum, clausus pacem esse significaret. Et cum Ianuarium & Februarium confecisset e diebus quinquaginta, quos numero ueteri addiderat, & e sex diebus quos illis sex mensibus detraxit, qui triginta dies habebāt, annum ad cursum lunæ in duodecim menses distribuit: & primos anni menses hos esse uoluit, ut Macrobius libr. Saturnalium primo scriptum reliquit. Plutarchus tamen alios quos refert, qui hosce menses sub Romulo fuisse existimauerint: ut cunq; fuerit, annus deinde apud Romanos calendis Ianuarijs inceptit, sicut Plutarchus in Mario, & Numa docet. quod institutum adhuc seruamus, & illa die strenā boni ominis gratia, sicut olim, dari solet: nam & Caligula imperator, si Tranquillo credimus, strenas calendis Ianuarijs stans in uestibulo ædium à populo recepit. Leges plurimas & quidem utiles tulit. Fundorum enim finibus ut suo quisq; cōtentus esset, sacros Ioui lapides apponi iussit, eosq; occultantes aut transferentes occidi impune sacrilegorum instar uoluit. Et cum deficerent testes, dubios cōtractus fide, & iureiurando terminari constituit, unde sic magistratus disceptationes plurimas breui dirimere iureiurando di-

xit. Mulierem quoque infra decem menses post obitum mariti nubentem, immolare prægnantem uaccam iussit: ne pellex eadem Iunonis tangeret, & si tangeret, ut Iunoni dimissis crinibus agnum fœminam cæderet, lege, testimonio Gelij, sanxit. Eum qui hominem liberum sciens morti daret parricidam, ut Festus ait, esse constituit. Filium cui pater uxorem ducere permiserat, distrahi prohibuit. Postremo cum tribus & quadraginta annis regnasset morbo, annos gerens super octoginta, excessit.

TULLVS HOSTILIVS.

Tullus Hostilius ab Romulo rex tertius, Albanos trigeminorum certatione superauit. Albam ob perfidiã Metij Suffetij ducis solo æquauit, populum Albanum Romanam traduxit, montẽ Cœlium urbi addidit. Suffetium quia in bello Veientium & Fidenatium, quos Tullus fudit, proditor fuerat, equis distraxit. lectis in patres Albanorũ principibus, ordinem senatorium suppleuit. ordini aucto curiã Hostilianam fecit. Fulmine ictus cum regia anno regni altero & trigesimo conflagrauit.

ANCVS MARTIVS.

Ancus Martius Numæ Pompilij filia ortus, patrum plebisq; uoto regnum accepit. Latinos bello subegit. Auentinum & Ianiculum montem urbi addidit, uectigal Salinarum instituit, carcerem media urbe primus edificauit. Cornelius eum ab Equicolis fœciale ius, quo legati ad repetendas res uterentur, transtulisse dicit. Hostiam Coloniam in ostio Tyberis deduxit. quatuor annis suprauiginti regnauit, alia facturus, si immatura morte præuentus non fuisset.

HISTORIAE IVRIS CIVILIS
L. TARQUINIUS PRISCUS.

Tarquinius Priscus Demarathi Corinthi filius, ab Anco tutor liberis relictus: regnū oratione habita incepit, magnos ludos instituit, urbem muro lapideo cinxit. Sabinos priscosq; Latinos bello domuit. Circum maximū edificauit. Senatus maiestatem centum uiris ampliauit, qui deinde minorum gentium fuere appellati. Centurias equitū duplicauit. filio annos tredecim nato propterea quod in praelio hostem percussisset, prætextam, bullamq; dedit. hinc exordium habuit, quod bulla & prætexta puerorum ingenuorum dicerentur esse insignia. Primum bellum cum Latinis gessit, & eis ui oppidum Apiolas cœpit. anno regni duodequadragesimo interfectus dolo liberorum Anci principis fuit.

SERVIUS TULLIVS.

Seruius Tullius Prisci Tarquinij gener, Tullij Corniculani, & Ocretiæ captiuæ filius, regnum opera Tanquilis socrus adeptus est. Illa enim occiso rege ex alto ad populum despiciens, Priscum maritum ne letale quidem uulnus accepisse dixit: sed interim dum conualesceret, Seruio uices suas demandare, hoc modo Seruius imperium nactus, Hetruscos domuit, censum, deinde classes centuriasq; instituit, populum in quatuor tribus distribuit, leges Commerciales, deq; iniurijs curijs, quæ erant quinquaginta numero, cōfirmauit. collem Quirinalem & Viminalem, & Esquilinum urbi addidit. Aggere, fossis, & muro urbem circumdedit. duas filias Arunti, & Lucio Tarquinio soceri liberis in matrimonium dedit. Sed immitis Tullia nomine uiro, & Lucius uxori bonæ superstites, morū similitudine adducti, matrimonium facile contraxerunt. mox Tarquinius
à Tullia

à Tullia incitatus regnum conuocato senatu repetere uoluit. Seruius autem ueniens ut resisteret à Tarquinio curiæ gradibus deiectus, & domum refugiens, post quatuor & quadraginta annos quàm regnum acceperat interfectus fuit. Primus post urbem cõditam æs signare cœpit, ut Plin. lib. 33. naturalis historiæ tradit, repetita uetere signãdi cõsuetudine ab Iano gemino rege primo Italiæ introducta, qui una nūmi parte sui capitis effigiem, altera nauim qua aduectus in Italiam Saturnus fuerat, exprimi uoluit. sic illius memoriæ consulens, abs quo peritiã ruris edoctus fuerat eumq; regni societate munerauit, ut apud Macrobiū lib. Satur. primo legimus. Signatum est etiam æs nota pecudis, unde pecunia dicta, nec non suis aut bouis signo, ut Plutarchus in uita Publicolæ scribit, eo quod cum nūmorū usus apud Romanos frequens non esset, pecudibus & iumentis fontes plecterentur. Nota nummi ærei fuerunt deinde ex una parte consulum capita, tertio loco triumuirorum reipubl. constituendæ effigies, & nouissime imperatorū imago ex parte altera uaria in numismatibus signa uideo. Modo est lupa Remum & Romulū lactans, aliquando triumphus, interdum ciuica cum his literis, O B. C. S. Sæpius fœcialis equo uectus, dea, deus uel aliquis. alias præterea complures non id genus figuras è uoluntate nummos percutientium in ipsis numismatibus uidemus, quas callens historiã duntaxat cognoscere poterit. Nummus uerò argenteus, ut Plin. eodem loco scriptū reliquit, percussus est anno urbis quingentesimo octogesimo quinto. Qu. Fabio C O S. quinque annis ante primum bellum Punicū, cuius nota bigæ & quadrigæ fuerūt, inde bigati & quadrigati nummi appellati sunt. mox lege Papyriana semūciales aßes facti fuerūt. Victoriatus deinde nūmus lege Clodia percussus est, & ita

à signo uictoriæ quo insculptus erat, dictus est. postea argenteus nummus easdē notas quas æneus habuit, parte una consulum scilicet, aut triumuirorum capita, & postremo Augustorum effigiem, ex altera multiplices formas sicut æneus habuit, unde Augustus (ut Suetonius scribit) nummum argenteum nota syderis capricorni quo natus fuerat, percussit. & Nero nummū cytharædico habitu quo se oblectabat, fabricauit. Aureus nummus sexagesimo altero anno post argenteū percussus est. cui consulū primo, triumq; uirorum secundo, deinde Imperatorum capita ex uno latere imprimi cœperunt, & ab his sicut alijs sæpe nomen accepit, quod & inscriptio demonstrabat. Vnde rationibus his unam Iudæorum dubitationē subdolam Christus diremit, nam eis an liceret censum soluere Cæsari percunctantibus dixit, ut sibi numisma census ostenderent, postea cuius imago illa, & in nummo posita superscriptio esset interrogauit, demum Iudæis has Cæsaris esse respōdentibus, quæ erant Cæsaris reddere Cæsari, quæ Dei erāt, Deo reddere iussit. In altera nummi aurei parte uarias & incertas notas reperio. Et aliquando Romæ magistratus fuit quem tres uiri monetales auri, argentiq; flatores gerebāt, quorum, teste Fencstella, diligentia erat, ut numismata auro probo, argentoq; fabricarentur. Nummi inuentione humanis necessitatibus subuentum est, & permutationi, introducta emptione, derogatum. Origo certe emendi, uendendiq; ut in libro digestorum duodeuigesimo apud Paulum scriptū habeo, à permutationibus cœpit. olim enim non ita nummus erat, neq; aliud merx, neq; precium uocabatur, sed unusquisq; secūdū necessitatē temporū, ac rerū utilibus inutilia permutabat, quoniam plerunq; euenit, ut quod alteri superest, alteri desit. Sed quia non semper nec facile cōcurrat,

rebat, ut cum tu haberes quod ego desiderabā, inuicem haberem quod tu accipere uelles, electa est materia cuius publica ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationū æqualitate quantitatis subueniret, caq; materia publica forma percussa usum, dominiumq; nō tam est substantia, quā est quantitate præbet, nec ultra merx utrunque, sed alterum pretium uocatur.

LVCIVS TARQUINIUS

SVPERBVS.

LVcius Tarquinius Prisci Tarquinij filius, regni administrationem Seruio occiso occupauit. Gabios per Sextum filium simulato transfugio domuit. leges aliquot tulit, sed & ueteres multas sustulit. Superbi cognomen ob iustitiæ contemptum meruit, ut apud Halicarnasæum libro 1. & 4. scriptū legimus. Princeps enim iste nō regiam rempublicam: sed tyrannidem magis constituit. proprio enim non subditorum cōmodo studuit, unde tyrannus non rex dici meruit. Cuncta libidine magis quā legibus regens, tantum a patrum cōsilio & opinione in rebus gerendis absuit, ut ex eis partē clariorē morte & exilio perdiderit. Volscis Suesam & Pometiam eripuit. Cloacam grandem & lacus in circo composuit. primus ferias Latinas adinuenit, uincula excogitauit, taureas, fustes, latumias, compedes, catenas, exilia, & metalla. Primus regum morem de omnibus senatum consulendi soluit. rempub. domesticis consilijs administrauit. bellum, pacem, fœdera, societatesq; per se cum quibus uoluit iniussu populi, & fecit & direxit. templū Ioui in Capitolio ædificauit. & cum Ardeā obsideret super alia ob uiolatā à Sexto filio Lucretiā, anno regni quinto & quadragesimo (si Liuiο credimus) urbe exactus est.

Scd

Sed Halicarnaseus annos quinque supra uiginti cum regnasse libro primo & quarto asserit. regnum deinde per Porsennam Hetruriæ regem frustra recuperasse conatus. Cumis cum summa ignominia reliquum uitæ tempus exegit. Huius temporibus Sextus Papyrius iurecōsultus apprimè peritus fuit, qui si Pomponio credimus, leges sine ordine ab regibus latas in unum composuit, liberq; eius hac ratione Ius ciuile Papyrianū appellabatur. Lex ergo prima iuris ciuilis species, primum ab Regibus originem habuit, quapropter eos non ab re commemorauimus. mox à populo, ut statim dicitur, processit: nam sunt leges principis sicut liberi populi, ut Valla tradidit. Sed quæ ab rege conduntur, alterius consensum nequaquam requirunt. quæ autem à populo sanciantur, consulis interrogatione egent: & propterea iureconsulti legem esse dicunt, quam populus Romanus senatorio magistratu interrogante, ueluti consule, constituebat. qua definitione leges ab regibus conditas non comprehendunt, eo quod cum suis latoribus exoleuerunt. Perempta prima reipublicæ specie, cui regia manus à condita urbe ad suam electionem usque ducentis annis, & quadraginta quatuor omnium opinione præfuit.

*

AYMA

AYMARI RIVALLII

ALLOBROGISHISTORIAE

IURIS CIVILIS LI-

BER SECVNDVS.

LEGES.



LXACTIS regibus fuit apud populum Rom. altera reipublicæ species Timocrazia nomine, quæ est principatus multitudinis, quæ nullo discrimine habito, omnium curat utilitatem & inquirit. Illo enim tempore Pop. Romanus Remplicam cum omnium commodo gubernavit, & loco regum duos COSS. creavit, quos uno quoq; anno, ne auderent aliquid, mutari placuit, ut Sallust. in Cati. scribit. Et quia calendis Ianuarijs apud Romanos annus incipiebat, tunc ipsi cōsules procreati magistratum inibant, ut ex Plutarcho in uita Marij colligitur, & Marcellus de conditionibus & demonstrationibus ostēdit. Consulatus tamen, teste Liuiο, interdum Idibus Martijs initus est. Mos quoque erat ut designati consules gratias populo agerent, benigneq; alloquerētur: quod Paulus Aemilius in secundo consulatu facere noluit, affirmans non sui sed efflagitantis populi gratia se consulatum secundum petisse. Dicti sunt autem eo nomine COSS. secundum Fenestellam, quod publicæ rei consulere deberent. Et cum lege Tribunitia omnes ferè ab Regibus constitutæ leges exoleuissent, in earum locum ipsius populi leges ad consulum aut Tribunorum interrogationē latæ, subrogatæ sunt, atque successerūt. Primum enim L. Iunio Bruto, & L. Tarquinio Collatino primis consulibus creatis, ne ipsi & cæteri deinceps per omnia, regiam potestatem sibi uendica-

rent,

II.
 ΔΗΜΟΚΡΑ
 ΤΙΑ ΕΣΤΙΝ
 ΜΑΝΟ
 4.

rent, lege cautum est, teste Pomponio iureconsulto, ut ab
 consulibus ad populum prouocatio esset, ne ue sine iussu po-
 puli in caput ciuis Romani animaduertere possent, solum
 eis relicta est coertio, & ut in uincula publica duci iube-
 rent. Plutarchus tamen hanc legem à P. Valerio publico-
 la consule latam fuisse scribit. Postea Tarquinius Collati-
 nus sorore Tarquinij superbi, & fratre patruelae genitus,
 uidens nomen suum, eo quod de gēte Tarquinia esset. ciui-
 tati inuisum, se cōsulatu abdicauit, rebusq; suis omnibus La-
 uinium translatis, ciuitate excessit. Hinc Brutus alter con-
 sul ex senatusconsulto ad populum tulit, ut omnes Tarqui-
 niae gentis exules essent. Deinde P. Valerius in Collatini lo-
 cum susceptus legem comitijs cēturiatis post Bruti exitum
 tulit, ne quis magistratus ciuem Romanum aduersus pro-
 uocationem uerberare, aut necare uellet, & de sacrando
 cum bonis capite eius, qui regni occupandi consilia inisset.
 Legē ciuium uectigalia etiam sustulit, si Plutarcho credi-
 mus, & aerarium creatis duobus quæstoribus Veturio &
 Minutio. Saturni ædem constituit. & cōsulibus non paren-
 tes bouum, & duarum pecudum pretio quandoq; mulctari
 disposuit. multas alias Solonis leges Publicola ad suū usum
 traduxit. Sextodecimo anno post reges exactos propter
 tributum & nūlitiam quam plebs tolerabat, in montem sa-
 crum trans Anienem secessit, & duos tribunos, C. Lici-
 nium & L. Albinum, qui plebei essent magistratus, creauit.
 Leges quoque quibus suum in patres ius tueretur, prius-
 quam in urbem reuenteretur, tribuno rogante, condidit:
 unde & sacrate dicebantur, ad patrum plebisq; concordia
 pertinentes. Et ut Menenius Agrippa patribus plebem re-
 conciliaret, inter cætera ab eis concessum est, ut plebis ma-
 gistratus essent sacrosancti, ne ue cui patrum capere eum
 magistr

magistratum liceret, & ita plebs in urbem reuersa est. Postea cum Martius Coriolanus ingentem Volscorum exercitum portis urbis admouisset, ut patriam oppugnaret, nullisq; ciuium legationibus flecteretur, tandem Veturie matris, & Volumnie uxoris precibus & lacrymis ab urbe castra mouit. Quare Sp. Nautio & Sex. Furio consulibus à senatu decretum fuit, ut sceminis semita uiri cederent, ut purpurea ueste, & aureis segmentis uterentur, quod primum in hanc usq; diem seruatur, & Romuli temporibus autore Plutarcho etiam in usu fuit. Lex agraria paulopost à Sp. Cassio consule primum promulgata fuit, qua dimidium agri ab Hernicis adempti Latinis, & dimidium plebi diuidere uoluit. sed nunquam deinde sine maximis motibus rerum agitata est, sicut alie id genus quae post istam latae fuerunt. Volero deinde tribunus plebis legem L. Pinario, & P. Furio consulibus ad populum tulit, ut plebcij magistratus tribunitijs comitijs fierent, quae cum patribus displiceret, eo quod eis omnem potestatem auferret, creandi per clientium suffragia tribunos quos uellent, ad impediendam legem, Ap. Claudium Appij filium plebi infestum, & Quintium C O S S. fecerunt, quod non profuit. nam post longas altercationes à Lectorio Voleronis collega perlata est. tuncque primum tribunitijs comitijs numero etiam addito, creati sunt tribuni Cn. Siccus, L. Numitorius, M. Duellius, Sp. Ilcius, L. Mecilius. Legem etiam absentibus, L. Tricipitino, & T. Veturio Gemino consulibus, C. Terentillus Arsa plebis tribunus promulgare uoluit, ut quinque uiri legibus de imperio consulari scribendis crearentur, ut iure à populo dato consules uterentur, non autem libidinem ac licentiam suam pro lege haberent. & de hac lege Terentilla diu inter plebem & patricos discept

disceptatum est, tandem Sp. Tarpeio, & A. Aternio
 COSS. abiecta fuit. per hæc ferè tempora cautum est, ut
 decem trib. ple. deinceps crearentur, & de Auētino publi-
 cando lex fuit etiam lata. Deinde quia inter patres & tri-
 bunos pro legibus ferendis magna sæpe contentio erat, tri-
 buni finem certaminū facere polliciti sunt, si legumlatores
 & ex plebe, & ex patribus crearentur, qui leges cōmunes
 utrisq; utiles ferrent, quibus patres in legibus ferendis, non
 in latore assenserunt: quoniam daturū legem neminem nisi
 ex patribus aiebant. unde nequis esset inuidiæ locus, leges
 extraneas habere placuit. Quare in Græciam Sp. Posthu-
 mius Albus, & P. Sulpitius Camerinus, & A. Manlius pu-
 blica autoritate profecti sunt, & optimas quasq; Græciæ le-
 ges & instituta, mores iuraq; anno tertio quàm recesserāt,
 aduexerunt. è Solonis enim sanctionibus, quibus Athenien-
 ses utebātur, hæc insigniora legum capita, eos attulisse cre-
 dimus. Ne sepulcra in urbe forent. ne ploratus & lamenta-
 tiones in alieno funere fierent. ne bos immolaretur. ut tri-
 bus duntaxat uestibus quis uteretur, minuendi sumptus gra-
 tia hæc fuisse introducta existimo. Ne ad aliena monumen-
 ta, nisi quo tempore funus efferretur, quispiam accederet.
 Ne quis sepulcra deleret, ne ue alienum inferret, pœ-
 naq; esset, si quis bustum, aut monumentum, aut colum-
 nam uiolaret, deijceret, & frangeret. ne in uita defun-
 ctos maledicta conijcerentur. Has quoq; Solonis leges tres
 prædicti Roma. legati attulerunt. Ut si quis in sacris locis,
 uel in iudicio, uel apud magistratus, aut cum certaminum
 instaret spectaculum, in ciuem maledictis esset inuectus,
 illi treis drachmas, ærario duas soluere cogeretur. Ut si
 quis aliquid in agro plātaret, quinque pedibus. si ficum uel
 oleam nouem à uicina abesset. ut scrobes & fossas effodere
 liceret,

liceret, modo tantum ab alieno abesset, quantum fosse fastigium foret. ut quicumq; apum aluearia conderet, trecentis passibus ab alterius ante conditis abiret. Vt mulier dote careret, treis duntaxat uestes & uasa quaedam paruo empta domo paterna efferret, quia societatem coniugij non precio, sed liberorum charitate iungi oportere Solon existimauit. Sequentia quoq; capita Posthumius Sulpitius, & Manlius è Solonis legibus delegerunt. Vt si quis liberos non haberet, pro uoluntate hæredem constitueret, nisi morbo ingrauescente, aut medicamentis, coniugis ue suasionibus, ac blanditijs hæredem constituere adduceretur, aut uinculis & cruciatu dicere hæredem cogeretur. Vt necessaria uitæ subsidia filius patri ab quo nulla arte esset ad usum uitæ institutus, non deberet. Et ut è meretricibus nati, parentes alere non tenerentur. Sed legitime nati qui parentes non educarent, ignobiles & obscuro essent. Vt mœchum in adulterio deprehensum necare liceret. ut qui ingenue uirgini uim attulisset, x. drachmis mulctaretur. quam si suasionem in suam traxisset sententiam, xx. drachmarum pœnam lueret, nisi palàm quæstum corporis faceret. Ne filia soror ue nisi in stupro deprehenderetur uendi posset. De offensione quadrupedum hanc Solonis legem adduxerunt. Vt canis qui aliquid morsu lesisset, capistro quatuor pedum alligatus dederetur. Et de furto hanc à Salone legem præscripti uiri habuerunt, Vt fures pœna dupli mulctarentur. Has quoq; constitutiones à Solonis legibus decerpserunt, Ne parricidij affectatæq; tyrannidis damnati magistratum caperent. Et si ob discordiam, dissensionemq; seditio atq; discessio populi in duas partes fieret, & ob eam causam irritatis animis utrinq; arma caperentur, pugnareturq; ut is qui in eo tempore, in eoque casu civilis discordiæ

b

non



non alterutri parti sese adiungeret, sed solitarius separatusq; communi malo ciuitatis sederet, domo, patria, fortunisq; omnibus careret, exul extorrisq; esset, & hanc legem Gellius ideo Græcos recepisse dicit, ut boni homines seditionē timentes diuersas partes secuti, ciues reconciliarēt. Prædictas autē Solonis leges aduectas, paucis additis aut detractis, ita Romani in suas tabu. per x. uiros retulerūt, ut ē Cicerōe de legibus, & iurecōsultis, Gellioq; et alijs colligitur.

SEQVNTVR NVNC VERBA

LL. XII. TABVLARVM.

In urbe ne sepelito, ne ue urito, ne facito ro-
gum, ascia ne polito.

Hanc legem Petronius & Flora eius uxor trāsgressi sunt. nam monumentū uiui sibi ponendum Valentiae curauerūt, & sub ascia dedicauerunt, quod adhuc in æde diui Felicis extat. Romanus quoq; apud Allobroges iuxta Lugdunum Euticho filio monumentum sub ascia dedicauit, unde asciae forma semper marmori ea polito insculpta est, maxime ubi inscriptio huius instrumenti meminit. Alij etiam complures monumenta contra hanc legem ascia poliuere, ut in multis Romanorum sepulcris regiones peragrans uidere poterit, & hanc constitutionem sumptus minuendi gratia Cic. inuētam fuisse dicit. Hinc sumendam coniecturam existimo, minimum quenq; Romanorū cupiditate gloriae sibi monumēta facere, & ascia polire uoluisse, ut hac lege sumptus huiusmodi minuere necessarium fuerit. Sed Galli tāti sunt huius gloriae spretores, quod ne bellicosi quidem peincipes apud eos sepulcra facere, uel perpolire curauerint, uel adhuc curent, unde contraria lege potius monumenta facere, & ascia polire astringi debuerunt. Ast uilissimus quisq;

gregar

Gregarius Romanorum miles Galliam & Italiam, aliasq; provincias suis inscriptionibus & sepulcris repleuit & foedauit, ut ille bonus Petronius, qui suo testimonio ueteranus erat, & honesta missione missus, & Romanus ille qui Euticho filio duodeuiginti annos duntaxat agenti tanti cura monumentum fecit. tanta fuit huius gentis gloriæ cupiditas. Hac ratione quales his sepulcris conditi, aut marmoribus inscripti fuerint, sepe numero ignoramus, quia historici & scriptores eos commemorare ob uilitatem neglexerunt. Duæ primæ leges sequentes timore incendij, & ad tuitionem sepulcrorum factæ sunt.

Rogum, bustumue nouum inuito domino ne propius ædes alienas sexaginta pedes adducito. Vestibulum sepulcri, bustumue ne usucapito. ploratus & lamentationes in funere suo latæ sunt.

Cicero refert hanc legem in x. tab. à x. uiris fuisse coniectam.

Defuncti iniuria non afficiuntor. Si iniuriam alteri facit xxxv. asses æris pœnæ sunt.

Hanc legem Labeo iurisconsul. in libris quos ad XII. tabu. conscripsit non probauit, quoniam ab iniuria facienda nemo etiam inops xxv. assibus deterreretur. Lucijq; Neratij factò huius legis iniquitatem ostendit. qui os hominis liberi manus suæ palma uerberare pro delectamēto habebat. deinde seruo suo sequenti crumenam plenam assium portanti iubebat, ut iniuria affecto xxv. asses statim secundum XII. tab. numeraret, unde postea secundum eundem Lab. prætores hanc legem abolescere & relinquere censuerunt, iniu-

rijsq; æstimandis recuperatores se daturos edixerunt. Hanc legem tamen Cæcilius iureconsultus, cum à Phaurino iniqua diceretur apud Gell. tueri nixus est, alias leges prosequamur.

Re, persona, tempore, loco atrociores injuriæ iudicantur. Si qui sepem, uel maceriam iuxta alterius regionem effoderint, terminum ne excedunt. Si autem murum, pedem unum; si domum, duos pedes relinquunt. Si uerò sepulcrum aut foueam effoderint, quantum sit profundum, tantundem derelinquunt. Si puteum, passum. Oliuam autem, aut ficum nouem pedes ab extranea regione plantant. In cæteris autem arboribus quinque pedes seruant.

Forte oliuam, & ficum hæc lex ab alijs arboribus distinguit, quia huiusmodi arborum radices longius proserpunt, damnumq; ob id finitimis afferunt, an hoc tamen sit uerum, agricolas consule. Hanc legem Caius iureconsultus, sicut relata est, in finibus regundis citauit. & quod in finibus x i i. tab. usucapionē inter quinque pedes esse uoluerint, Cicero eleganter in legibus dixit. Sed postea ex constituto. Valentiniani, Theodosij & Arcadij imperatorum præscriptio quinque pedum sublata est, ut finalis iurgij, uel locorum libera perageretur intentio. Aliam Solonis legem de institutione hæredum x. uiri in x i i. tabu. sine exceptione aliqua hoc modo descripserunt.

Vt quisque legasset, suæ rei ita ius esto.

Postea tamen alij legumlatores, iureconsultus, scilicet & imperat

peratores eis, qui aliquem testari quoquo modo cogunt, aut prohibent, pœnam imposuerunt. deinde sic aliæ leges trās-
latæ sunt.

Filius arte carens patris incuria, eidem neces-
saria uitæ subsidia ne præstato. alioquin parentes
educare cogitor. E meretrice natus patrem non
alito. Mœchum in adulterio deprehensum ne-
cato.

De muliere hac lege non expressum cauetur, at Romuli
constitutione mulier in adulterio deprehensa, repudiari
poterat. Cæsar uerò Pompeiam uxorem non in adulterio
deprehensam, sed adulterij suspicione non carentem, repu-
diavit. Nam cum magna suspicio esset Clodium Pompeiæ
consuetudinem habuisse, ex eo quod dum noctu sacra Bonæ
deæ fierent, ueste muliebri Iulij Ponti. ædes, ubi tunc fortè
celebrabantur intrasset, & ibi interrogatus quidnam quæ-
reret, & unde esset, se præstolari Pompeiæ ancillam dixis-
set, ab Cæsare Pompeia ex hac adulterij suspicione repu-
diata est. Et cum postea in Clodium ob eandem causam de
pollutis ceremonijs accusatum Cæsar testis citatus se quic-
quam comperisse negasset, ab accusatore interrogatus cur
igitur uxorem repudiasset? quoniam meos inquit non deli-
cto solum, sed & delicti suspicione oportere carere censeo.
Si mariti hac Cæsaris ratione mulieres nostri temporis re-
pudiare possent, proh Iuppiter quotquot diuortia fierent.
per pauca sunt enim mulieres quæ hodie suspicione ca-
reant. nescio si mutua fœminarum inuidia, aut hominum
iniquitate, qui omnia in deteriore potius quàm in melio-
rem partem interpretantur, ista suspicio proueniat. Sed &
culpa ipsæ mulieres non omnino carent, quod procos cupi-

ditate nubendi libenter admittant, quod comptos iuvenes attente audiant, & quod notis ignotisq; æque familiariter utantur. quinimmo à multis adamari uarium hoc animal sibi in gloriam & honorem sæpius adscribit. Lege post hæc Iulia patri filiam in adulterio deprehensam cum adultero occidere concessum est. dummodo filiam in potestate habeat, & ambos in ipsa turpitudine, aut in ipsis rebus ueneris secundum Labeo. & Pompo. opinionem deprehenderit, quod Solon & Draco, teste Vlpiano uoluerunt. Marito quoq; adulterum uxoris suæ lenonem, aut artem ludicram facientem, libertum, seruum uel suum, iudicio quoq; publico damnatum, domi suæ deprehensum leg. Iul. occidere permissum est, ut Martianus de adulterijs scribit, quod & Alexander imperator sanxit. Vxorem uero domi in adulterio deprehensam, maritus sine mora occidere debet. hæc omnia tamen iure Pontificio facere non licet. Dubitat oues autem quæ circa legem Iuliam, & consequenter circa hanc xii. tab. legem occurrere possent, iureconsulti in titulo ad leg. Iul. de adul. decidunt & terminant. sed aliarum legum translationem referamus.

Vim ingenuæ uirgini inferre, aut eam suasionem in tuam sententiam trahere caueto. Sororem aut filiam in stupro deprehensam uendito.

Posteriori iure ciuili qui uirginem rapit, ultimo punitur supplicio. & qui eam sine ui stuprat, leg. Iul. de adult. condemnatur. sed iure Pont. stuprans uirginem dote constituta, eam in uxorem ducit, & si eam ducere nolit, dotem constituit. & castigatur à patre nolente filiam dare, stuprans dotem soluendo liberatur. Legem autem Solonis de offensione quadrupedum x. uiri in hunc modum ampliarunt.

si quad

Si quadrupes pauperiem fecerit, animal quod commisit noxam dato, aut noxæ æstimationem ferto.

Sed ab eiusdem lege in fures lata recesserunt, quoniam ut Gell. lib. II. refert, ita de hac re in XII. tab. scripserunt.

Furem qui manifesto furto prehensus erit, si furtum aut noctu faciat, aut interdiu comprehenderetur, se telo defendat, occidito. E cæteris manifestis furibus liberos uerberato, & ei cui factum luci furtum erit, si se telo non defendant, addicito. Seruos autem manifesto furto prehen-
 sos uerberibus afficito, & è saxo præcipitato. Pueros impuberes prætoris arbitrato uerberato, noxamq; ab his factam sarciri facito. Furta quæ per lancem liciumq; concepta erunt, sicut manifesta uindicato.

Caius in leg. Aquil. dicit ita de mun hanc XII. tabu. legem, furem noctu aut interdiu deprehensum, occidere permisisse, si id ipsum cum clamore significaretur, & si interdiu se fur telo, cum prehenderetur, defenderet. Teli autem appellatione, ut ipse Caius alibi interpretatur & fustis, & ferrum, & lapis, & deniq; omne quod nocendi causa manu mittitur, in hac lege significatur, licet uulgo, quod ab arcu in longinquum mittitur, telum appelletur. In hac lege. x. uiri sententiam Draconis in aliquo secuti uidentur, qui primus omnium leges Atheniensibus dedit, & inter alia furem cuiuscunq; furti supplicio capitis esse puiendum, censuit atq; sanxit. Postea ab illa lege x. uirali, ut Gellius ait. discessum est, & pro parte ad Solonis legem peruentum.

nam si quis super manifesto furto iure & ordine experiri uelit actio in quadruplum datur. Pro furto autem concepto & oblato, poena tripli constituta est. alijs deinde furtis omnibus quae nec manifesta appellantur, poenam dupli. sicut Solon, legumlatores imposuerunt. rursus actiones concepti & oblati furti in dissuetudinem secundum Iustinianum abierunt. Vtrum autem lex Solonis de seditione ciuium in XII. tabu. relata fuerit, non satis constat, sicut neq; de alijs compluribus Solonis legibus, nisi ex coniectura, qua magis, authore aliquo fretus, multas Athenien. leges in XII. tabu. fuisse translatas, & descriptas pauloante affirmavi. Nam cum teste Liuiio Po. Ro. legatis Athenas missis Solonis leges describere, & aliarum Graeciae ciuitatum instituta, mores, iuraq; noscere iusserit, sitq; haec lex, ut pote ciuium seditionem coercens, una e dignioribus quas Athenien. habuerint, necno illae quas supra retuli, uerisimile est x. uiros eas in XII. tab. retulisse. Et Phauorinus apud Gell. oportere modum eius de seditione legis seruare inter fratres aut amicos dissidentes cesebat, ut qui in medio sunt utriusq; partis beneuoli, si in concordia amittenda parum authoritatis quasi ambigui amici habuerint, in diuersas partes discedat, ac per hunc modum uia sibi ad utriusq; concordiam muniat. Inuehitur e diuerso Phauorinus idem in eos, qui duos litigantes amicos destituunt, eosq; dedunt aduocatis malcuolis aut auaris, qui lites animasq; eorum lucri aut odij studio inflamant. Si quis autem inquirat sententiam & utilitatem legis quam Solon de seditione tulit, Gell. legat, & quam utilis reipublicae fuerit, cognoscet. Praeter haec Laertius Diogenes Solonem constituisse scribit, Ne tutor cum pupillorum matre inhabitaret, neq; is ad quem post pupillorum obitum substantia spectaret, tutor fieret. quas leges Romani ita in suis tab. collocarunt et intellexerunt.

Tutor

Tutor cum pupillorū matre ne habitato. Agnati aut substituti qui successionē sperāt, tutores sunt. & dari tutores possint. Sed si aliqua sit insidiarum suspicio, apud alios pupillus educator.

Legitimæ tutelæ, sicuti Vlpianus ait, agnatis qui ad legitimam hereditatem admitti possunt, summa prudētia lege xxi. tabu. delatæ sunt, ut qui successionem sperarent, bona tuerentur: unde & filio pater substitutum eidem tutorem dare potest, ut è uerbis Pauli iure consul. sub tit. de excu. tuto. interpretes iuris ciuilibus colligunt. Si tamen aliqua sit suspicio, ne successuri pupillo insidiarentur, prætor ex conditione personæ, & tempore etiam contra uoluntatem patris constituet, ubi pupillus alatur uel moretur, ut iure consulti, & imperatores diligenter explicant. hæ sunt leges quas ab Athenien. Romani habuere. A Lacedæmonijs autem tres legati Posthumius, Camerinus, & Manlius non ius scriptum ut ab Athenien. sed mores, & consuetudines habuerūt. unde non immerito in duas species ius scriptum, et non scriptum ius ciuile Romanorum distributum est, ut Iustinianus affirmat. Nam eius origo ab Athenien. & Lacedæ. fluxit. & Athenienses leges scriptas magis custodiebant, Lacedæmones autem usque adeo ius scriptum spreuerunt, ut Lycurgus eorum legislator sanctione constituerit (si Pl. credimus) ne scriptis uteretur legibus. Et inter alios mores quos apud Lacedæmonios legati delegerūt, sumptuarias leges, ut Marcellinus scribit, à Rhetris, id est Axonibus Lycurgi Romā transtulerūt, quibus Romani diu usi sunt. Et si quispiā cognoscere desideret quas leges circa sumptus, & alias Lacedæmonij habuerint, has apud Xenophōtem Plutarchūq; in Lycurgo, et alios inueniet. Vt domorū

culmina securi, & ianuae serra duntaxat, non alio instrumēto fabricata essent. Vt adulta etate uxor duceretur. ut omnes posteriore luxuria abstinerent. ut pro exercitio & disciplina rei bellicae furari liceret. ne iidem hostes saepius bello ptererentur. ne frequenter reluctando bellicosi fierēt: & ut ciues publice simul discumberent, diuites promiscue & inopes uni adhiberentur conuiuio, iisdemq; temperatis, tamen uescerētur epulis. Hinc originem sumpsisse opinor: quod Romani in propatulo pranderent, & coenarent, ut sic oculis ciuium testibus factis luxuriae modus fieret, sicut statim post Macrob. dicemus. Habuerunt quoq; Lacedaemonij in eorum moribus, ut cadauera in urbe sepeliri, & secus templa monumēta fieri possent. sed Romani tantum ab usu harum duarum cōstitutionum adfuerunt, ut contrariū lege et decreto Pontificum constituerint. Nam ut Marcus Cicero dicit, cadauera lex Romanorum in urbe sepeliri uetuit. hanc legem paulò antè retuli, & pontifices non posse sepulcrum in loco sacro publico fieri decreuerunt. unde cum extra portam Collinam aedes & ara. Honoris dedicanda esset, multa supelera quae in eo loco erant, extracta fuerunt. Hinc est quod Syllae monumentum in campo Martio, Augusti Mausoleum inter Flamineam uiam & Tyberis ripam, Domitiorumq; sepulcrum in colle Hortorum fuisse legimus, quod Domiti cadauer in suburbano, Philidis Latina uia, & cadauer Caligulae in hortis Lamianis sepulta fuisse tradunt. Quod si aliquos: ut de Tiberone, Publicola, C. Fabricio, et alijs quibusdā legimus, in urbe sepultos fuisse reperiemus, illis ante hanc legē, uel post sed uirtutis causa, ut Cicero dicit, cōcessum est. Pariter si in aedibus sacris lapides monumētorum antiquorū etiā inscriptos uideamus, à posteris in earum ornatū, & aedificationem,

tionem, extractionēq; aliunde asportati sunt, non quod ibi aliqui sepulti fuerint. Traianus tamen solus omnium imperatorum intra urbem, ut Eutropius scribit, sepultus est, ossiq; eius in urnam auream collocata, in foro quod edificauit, sub colūna posita fuerunt. Ast Christiani in urbe, & extra urbem, secus aut intra aedes sacras semper monumenta faciunt, ut posteriori iure Ponti. cauetur, habentq; pro nefando si quis in prophano loco humetur: unde interdum in ignominiam & pœnam aliqui propter suum delictū ab eis in loco prophano sepeliuntur. Inter Spartanorum quoque leges hanc fuisse comperimus, ut si eorum dux quod cupiebat & uolebat, dolo aut persuasione conficeret, bouem mactaret: si uerò rem bello gereret, gallum ex instituto immolaret. Hoc autem ideo Spartanos introduxisse Plutar. in Marcello refert, quia licet bellicosi esset, ampliora tamen magis que esse homine digna iudicabant quæ ratione, ac prudētia, quàm quæ ui aut fortitudine confecta essent. At diuersum morē Romani habuerunt: eorum enim dux qui prælio & cæde hostem superabat, ingentem triumphum agebat, & bouem mactabat sed qui leui aut nulla pugna, uerum comitate, & bencuolentia orando rem bene gerebant, ouabant duntaxat, & ouem immolabant. Sanxit etiam apud Lacedæ. Lycurgus quod Quirites auxerunt, ut undecim diebus luctus finiretur: & neq; uiri, neq; foemine nomen sepulcro inscribere liceret, nisi præclare in bello perisset. Quod Romani non seruarunt, nam etiam sepulcra eorum inscripta uidemus, qui ne in bello quidem fuerunt. Alijs præterea moribus Respub. Lacedæmonum constituta fuit, ut è Plu. et Xen. intelligi potest, quorum optimos in urbem commemorati Roma: legati attulerunt. Longæuo deinde usu, tacitoq; consensu complures alios mo-

res qui leges imitarentur, tollerent, aut interpretarentur, ipsi Romani introduxerunt. Sed quod ultra leges à Græcis habitas Romani suis tabulis alias addiderunt, coniecturam ex eo sumimus, quod Dionys. Hali. scribit unam Romuli legem, qua patri filium uendere permiserat, à x. uiris cum alijs legibus fuisse in xii. tabu. conscriptam. Me etiam mouet, quod cum Græcorum leges x. tabulis opera x. uirorum exhibitæ non sufficerent, totidem uiri duas tabulas prioribus adiecerunt. utcunq; fuerit, siue à Græcis Romani omnes habuerint, siue aliquas inuenerint, sequentes leges de religione, & magistratibus, deq; priuato iure, ultra prædictas in xii. tab. fuisse secundum Cice. & Plini. iureconsultos & Gell. comperio.

Ad diuos caste adeunto, pietatem adhibento, opes amouento, qui secus faxit, deus ipse uindex erit.

Caste iubet lex adire Deos, corpore uidelicet, ut inquit Cicerone, & animo multo fortius. nam corporis macula uel aspersione aquæ, uel dierum numero tollitur. animi labes nec diuturnitate euanescere, nec ullis manibus elui potest. Nostri sacerdotes tantum ab obseruatione huius legis absunt, ut complures ioci loco habeant, post habitam cum muliere consuetudinem, Deo sacrificare: sed deus ipse uindictæ tarditatem supplicij grauitate compensabit. Sic ne cum dijs immortalibus iocantur? non ne legerunt Dionysij filium regno perditio ludi fuisse magistrum, & in triuio docuisse literas propterea, quod pater sacrilegus fuerat, & sacrilegia sua iocosis dictis prosequi uoluptatis loco duxerat? Non ne etiam Tibullum legere, qui hoc eleganti carmine seruare legem prædictam iubet? Vos quoq; abesse procul iubeo

iubeo discedite ab aris, Quis tulit externa gaudia nocte Venus. Casta placent superis, pura cum ueste uenite, Et manibus puris sumite fontis aquam. Apud antiquos istud quoque obseruatum inuenimus, ut dijs superis sacra facturus corporis ablutione purgaretur; dijs uero inferis litaturo sola aquæ aspersio sufficeret. Vnde Aeneas apud Virgilium de sacris superum ait, Tu genitor cape sacra manu patriosque penates, Me bello è tanto digressum, & cæde recenti Atrectare nefas, donec me flumine uiuo Abluero. At Dido sacra dijs inferis instituens dixit, Annam chara mihi nutrix huc siste sororem, Dic corpus properet fluuiali spargere lymphæ. Et cum Misenum Aeneas sepulturæ manderet, Idem ter socios pura circumtulit unda, Spargens rore leui &c. & hanc differentiam Macrobius luculenter in Marone deprehendit. Hæc lex insuper pietatem deo esse gratam, & sumptum esse remouendum significat. Ex cognitione deorum, quod res humanas curent, pietas oritur: cui iustitia, reliquæque uirtutes ex quibus uita beata existit coniuñctæ sunt, ut Balbus apud Cic. de natura deorum differit. quapropter se dubitare Cicero ait, an pietate aduersus deos sublata fides, humanique generis societas atque iustitia uirtus excellentissima tollantur. nam cum pietate tolli religionem & sanctitatem constat. Sed licet sumptum hæc lex remoueat, Diuos tamen magnis muneribus Romani donabant, & maxime Romuli ex instituto uictores. is enim exercitu Ceninensium fuso, obtruncatoque in prælio rege, Ioui Feretrio templum in Capitolio, & opima spolia ducis hostium dedicauit, & id templum sedem esse opimis spolijs dixit, quæ regibus ducibusque hostium cæsis, se authorem sequentes posteriferræt, Itaque duo post Romulū opima spolia in hæc Iouis ædē detulerūt, Cornelius scilicet Cossus cum Tolumnium Tyr

um Tyrrhenū obtrūcasset, et C. Marcellus qui Viridomiarū Gallorū regē superauit. Sed & teste Festo decima quæq; ueteres dijs suis offerebant, quod Ponti. iure immortalis Deo hodie fieri debet. Sed qualiter hoc ius pōti. Christiani seruent, ipsi uiderint. Ultimo loco lex non iudices, sed deum uindicem constituendo religionem confirmare metu præsetis poenæ uidetur: sed referamus alias religiōis leges.

Separatim nemo habesit deos, neue nouos, siue aduenas, nisi publice adscitos, priuatim colunto. Constructa à patribus delubra habento. lucos in agris habento. & larium sedes, ritus familiæ, patriæque seruanto.

Hac lege Christiani mouentur ne diuos aliquot colant, nisi prius autoritate Ro. ponti. approbati publicæ, & recepti fuerint, quod & constitutionibus Alexandri & Innocentij ponti. hodie cauetur, ut in iure Ponti. scriptum est. ecce quanta Romanorum fuerit religio, ut etiam à nostra non abhorreret. Et propterea Ciceronis testimonio deorum quorumlibet cultum Romani prohibuerunt, ne confusionem haberent religionum, & cerimoniarum ignorantiam sacerdotibus afferrēt. Propter hanc legem Augustus Aegyptum peragrans ut Apin uiseret, paulo desistere noluit & Caium nepotem, quod Iudæā præteruehens, apud Hierosolymā nō supplicasset, collaudauit: sed sicut has peregrinas cerimonias, utpote nouas, aut non præceptas contemptui habuit, ita ueteres aut præceptas, ut sacra Atticæ Cereris, & id genus alia reuerendiß. coluit, ut autor est Suetonio. Propter hanc legem Christus inter deos Tiberij temporibus à Romanis receptus non est: nam licet Tiberius intellecta per Pōtium Pilatum Christi diuinitate, hoc ad senatū cum

cum prærogatiua sui suffragij detulisset, tamen quia à senatu ea res minime probaretur, Christus neglectus est, cum ut Tertu. refert, Romæ uetus decretum esset, ne quis deus ab imperatore consecrari posset, nisi à senatu etiam probaretur. Et de hac lege x i i. tab. ut quidam aiunt, Tertu. intelligere uoluit, nihilominus periculum, & poenā Tiberius his qui temere Christianos accusarent, cōminatus est. Ast sub Nerone cum alij Christiani, tum Petrus & Paulus nostræ religionis capita, Sucto. Eutropijq; ac Platinæ testimonio supplicij afflicti sunt. Sed & mox Hadria. ne processum fidei nostræ ignoremas, Christo tēpla condere inchoauit, sicuti Lampidrius testis est, sed præfecti sacrorum suasionē ab incepto destitit, qui hoc medio omnes futuros aliquādo Christianos, & ideo cætera etiam tēpla deferenda prædicabat. Quare mutato animi proposito acerrimè tandē Hadria. Christianorū ueritatē insectatus est. Alexāder autē Christi numen inter maximos & scelestos deos recepit. Philippus deinde Christiani nominis cultum suscepit. sic apud Romanos nostrā fuit agitata religio. Delubra & deorum lucos cōtra magorū sententiā lex esse iubet: his enim autoribus, Xerxes inflāmasse tēpla Græciæ dicitur, quod deos quibus omnia esse patētia ac libera deberent, quorūq; omnis hic mundus templū esset, & domus parietibus includerēt. At Romanorum iure delubra esse in urbibus, & lucos in fundi, uilleq; conspectu Tul. censet, ut rebus diuinis ubique homines operam darent, atq; dei præsentia & aspectu castiores essent, & deorū speciem in oculis non solum in mentibus haberent. Romani tamen quibusdam dijs Vulcano præsertim, & Aesculapio extra urbē tēpla fecerunt, ne pestis, uel incendia urbem ingrederētur, eamq; male afficerent. et Romulus sicut apud aliquos legimus, Vulcani tem-

plum

plum primo extra urbē constituit. Christiani hunc Romanorum morem secuti, complura dei & caelestium hominum templa in agris & urbibus habent, in eorumq; Pontificio iure titulus de aedificandis & reparandis aedibus sacris reperitur. Lucus insuper dijs olim ut haec lex constituit, fuisse sacratos Virgilius cum in alijs libris, tū in VIII. Aene. sic ostendit, Est ingens gelidum lucus prope Ceretis annē religione patrum & c. Et in his locis sacris propter religionem cedere arbores fas non erat, immo ut Servius ait, cedentes sacrilegium committebant, poenasq; luebant. Et ideo cum lucū Aesculapij templo consecratū Turulius Antonij praefectus ad naues ei faciendas magna ex parte succi diffet, deuicto Antonio, in eo luco quem uiolauerat Turulius uoluntate dei à Caesarianis militibus occisus est. Deo tamen concedente in luco arbores cedere licebat, nec sacrilegium committebatur, unde Dardanio Aeneae suo è luco arbores pro faciendis nauibus Cybele deorum mater teste Virgil. dedit, nauesq; ipsas sacris suis pinibus factas Iouem precata, ab incendio industria Turni postea illato seruauit. Et quia nullae in lucis cedebantur arbores, et ita earum densitatē lucus opacus, & sine luce erat, à luceo per antiphrasim, eo quod non luceret, Servius & Priscianus locū fuisse appellatum crediderūt. Alij non per contrariū, sed ob crebra sacrificiorum lumina, quae ibi noctu fiebant, à luceo lucum deduxerunt. nam & Lucraria etiam festa in luco qui permagnus intra mare & Salariam, & Tyberim fuit, Romani secundū Festum colebāt, eo quod uicti à Gallis è praelio fugientes se in ipso occultauerunt. Et quoniā antiquitas proxime accedit ad deos, ritus familiae, patrumq; quasi à dijs traditam religionē lex seruari mandat, ut Cicero tradit. Vnde nō inelegāter cuidam adolescenti Phauor. philo. dixit,

dixit, ut moribus præteritis uiueret, uerbis autem præsentibus loqueretur. Deos quoq; peculiare & domesticos, ut Lares, eorumq; sedes hæc lex constituit. erant enim Lares gemini ex Lara nymp̄ha & Mercurio nati: & multorum opinione lares genij erant omnibus dati, ut uitæ funeriq; duces essent. ecce quantum Romani in religione Christianos attigerunt, qui hominis custodiam malo angelo, & bono deum tradidisse ferunt. Horum autem Larium sedes & locus lararium dicebatur, & in hoc larario Alexander Seue. matutinis horis rem diuinam ad effigies deorum fecisse dicitur, ut apud Lampri. legimus, & inter deos primi lararij Habraamum & Christum, in secundo uerò larario simulacrum Virgilij & Ciceronis habuit. Et qui in re pecuniaria per lares, & genium principis iurabat, & peierabat, ex imperatoris Seueri & Antonini constitutione fustibus castigatus dimittebatur, sicuti Vlp. de iureiur. refert. alterius legis hæc uerba erant.

Diuos, & eos qui cælestes semper habiti colunt. Illos quos in cælum merita uocauerunt Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum, & illa propter quæ datur homini ascensus in cælum, mentem, uirtutem, pietatem, fidem, earumq; laudum delubra sunt, nec ulla uitiorum sacra solennia obeunt.

Tria rerum genera coli hæc lex mandauit. deos primo, qui semper cælestes habiti sunt ut Iouem, Martem, & reliquos antiquorum deos, quos enumerare esset difficile. Sed cum omnis, tum hos duodecim Iunonem, Neptunum, Mineruam, Venerem, Apollinem, Mercurium, Iouem, Cererem,

Vulcanum, Martem, Dianam, & Vestam Romani coluerunt, & eis totidem aras in urbe construxerunt, & singulis quidem mensibus singulos deos assignarunt, in quorum tutelam referrentur. Ianuarius enim in tutela Iunonis erat, & Februarius in tutela Neptuni, & sic de reliquis prout descripsimus, dicendum est. Deinde ex hominum genere consecratos sicut Herculem, & ceteros beneficijs excellentes viros lex colere iubet. Mos etiam Romanis erat consecrare imperatores, qui superstitionibus filijs, uel successoribus moriebantur, quiq; eo honore affecti erant, inter diuos & in deorum numerum relati dicebantur, & unã cum cæteris numinibus colebantur. & ideo Valerius reliquos diuos fuisse acceptos, sed Cæsares à Romanis datos affirmat. huius autem consecrationis modum & formam præclare Herodianus in Seuero tradit. Primus uerò qui à Romanis consecratus, & in numerum deorum receptus fuerit, Romulus traditur conditor urbis, nam æde ei in colle Quirinali constituta, pro deo cultus est, & Quirinus est appellatus. Is Romulus mortuo fratre solus imperio potitus, e sacris peregrinis ea quæ Herculis erant suscepit, Græcoq; ritu, ut ab Euandro instituta erant, sacra Herculi fecit. Cum enim Hercules prope Tyberim ob boues sibi raptas Cacus interfecisset, & Euander profugus è Peloponnesso ea forte loca tunc autoritate magis quàm imperio regeret, uisa Herculis forma augustiore humana, nomineq; patre ac patria acceptis, è uaticinio matris deorum coelestium Herculem aucturum esse aliquando numerum Euander dixit, aramq; & sacra ibidem Herculi constituit, quorum curam Potitorum familiæ, qua tunc ea loca incolebat tradidit. Hæc Herculis sacra Romulus, & post eum reliqui Romani ita susceperunt. ut Herculem deorum more coli

re coli relata lege iusserint. Deinde cum Posthumius dicta-
tor Latino bello ædem Castori & Polluci uouisset, à Ro-
manis Aemylio, & Cæsone Fabio coss. dicata est, hiq; dii
è Leda à Ioue suscepti, sic à Romanis coli cœperunt, quia
bonam operam aduersus Latinos superantes nauarant. Li-
ber insuper Semele natus & Aesculapius Apollinis filius
ex hominum genere inter deos recepti, & maxime Aescu-
lapium ob medicinæ artis ampliationem ab eo factam Ro.
Po. coluit. eidem quoq; in insula Tyberis templum dedica-
uit. hinc legi congruit, quod Hora. in epist. ait, Romulus &
Liber pater, & cum Castore Pollux post ingentia facta
deorum in templa recepti. Cæsar quoq; non tantum ore
decernentium, sed & uulgi persuasione, cum per septem
dies ludis in eius honorem æditis stella fulsisset, in numerum
deorum relatus est. Sed & Claudius Cæsar solenni princi-
pum pompa funeratus, ut Tranquillus ait, in numerum
deorum relatus est. Titus etiam, Nerua, Traianus, Anto-
ninus, Pius, Marcus, Seuerus, Claudius, Aurelianus, Con-
stantinus, Iouinianus & complures alij imperatores conse-
crati, atq; inter deos relati, diuicq; appellati authore Eu-
trop. fuerunt. Diocletiano autem idem Eutropius contigif-
se scribit, quod nulli post natos homines euenit. ut cum pri-
uatus obiisset, inter diuos tamen referretur. Christiani si-
mitem huic religionem seruant, nam deum immortalem co-
lunt, & uirtute præditos, miraculisq; fulgentes magna
pompa & inquisitione primo in diuos referunt, deinde ue-
nerantur, post templa eis construunt, ut de diuis Ioanne,
Petro, Catharina, Nicolao, Magdalena, & alijs uidemus.
Tertio loco uirtutes propter quas in coelum ascensus ho-
mini datur lex colere, & eis delubra facere iubet, & ha-
rum omnium quæ hac lege referuntur, Romæ dedicati

publice templa fuerūt, ut Cicero refert. E quibus Numa Fidei templum cōdidit, & recte quidem, cum Ciceronis testimonio fides sit iustitiæ fundamētum, & dictorum conuētorumq; constantia & ueritas. Et Marcellus quintum consulum gerēs templa Honori & Virtuti, Clastidio prius, deinde Syracusis potitus cōsecrauit. Spes quoq; Collatino & in capitolio Mens ab Aemilio Scauro consecratae sunt. sed aræ Febris, & malæ Fortunæ, ac alia uitiorum tēpla, quæ aliquando Romæ extabant, utpote sacra uitiorum solennia repudiāda fuerunt. Valerius Febrē, ut minus noceret, Romanos templis coluisse refert. quorum unum in palatio, alterum in arca Marianorū monumentorum, tertium in summa parte uici longi erat, in eaq; remedia, quæ corporibus ægrorum annexa fuerant, deferrebantur. & quia apud Cicce. de natura deorum prolixior huiusce legis interpretatio deprehēditur, huic rei breuitatis caussa finem impono. Alia igitur lex de religione talis erat.

Ferijs iurgia amouento. Easq; in famulis (operibus patris) habento. Itaque ut ita cadat in annis anfractibus descriptū esto. Certasq; fruges, certasq; baccas sacerdotes publice libāto, hoc certis sacrificijs ac diebus. Itemq; alios addes. Vbertatem lactis foeturæq; seruant. Idq; ne committi possit, ad eam rem & rationem cursus annuos, sacerdotes finiunto.

Ferijs festisq; diebus liberi quietem, litiū & iurgiorū serui rusticorum operum, & laborum intermissionem ex hac lege habebant. Et ut sacrificiorum libamenta, foetus pecorum seruarentur, ratio intercalandi diligenter erat habēda. Sed ne in occulto huiusce legis dispositio habeatur, dierum ordinem

dinem ab Romanis institutum referre placet. Numa non contentus annum in menses distribuisse, in dies teste Macrob. unumquęq; mensem diuisit, diesq; omnes aut festos, aut profestos, aut intercios uocauit. Festi dijs dedicati, profesti hominibus ad reipublicę & priuata administrationem cõcessi fuerunt. Festis incrant sacrificia, epulę, ludi, ferię. nam tunc sacrificia dijs offerebantur, uel dijs epulationibus diuinis celebrabatur, aut ludi in honorem agebatur deorum, uel ferię obseruabantur. Ferię autem publicę aut priuatae erant. Priuatae seu proprię ferię familiarum, ut Claudię, Aemilię, Iulię, seu Cornelię erant. nam aliquas proprias ferias quęq; familia ex usu domesticę celebritatis obseruabat, necnon & singuli priuatas quasdam ferias, ut natalium & fulgurum susceptiones, item funerum atq; expiationum dies obseruabant. Feriarum uerò publicarum quatuor erant genera, aut enim statiuę erant, aut cõceptiuę, aut imperatiuę, aut nundinę. Statiuę uniuersi populi communes erant, certis & constitutis diebus ac mensibus annotatę, & in eis Agonalia, Carmentalia, Lupercalia precipue seruabatur. Conceptiuę quotannis a magistratibus uel sacerdotibus in dies certos uel incertos concipiebantur, ut erant Latine, Semetine, Paganalia & Compitalia. Imperatiuas ferias cõsules uel prętores pro arbitrio potestatis inducebant. Nundinę rusticorum erant. in illis enim rustici negocijs proprijs uel mercibus prouisuri conueniebant. Et si in dictis conceptisq; ferijs opus aliquod fieret, polui ferias sacerdotes affirmabant. Quod si talibus diebus quispiam imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debebat. prudens uerò si quid operis talibus diebus egisset, expiare Sceuolę Pontificis sententia nõ poterat. Et ne festis diebus opus fieri debeat, sic Tibullus post hęc legem admonet. Luce sacra requiescat

humus, requiescat arator, Et graue suspenso uomere esset opus. Soluite uincla iugis, nunc ad praesepia debent. Plena coronato stare boues capite. Omnia sunt operata deo, non audeat ulla Lanificum pensis imposuisse manum. Sed si aliquis opus ad deos pertinens, sacrorum ue causa fecisset, uel aliquid ad urgentem uitae utilitatem respiciens actitasset, ferias secundum Vmbronem non polluebat. Sceuola deniq; consultus quidnam ferijs agi liceret, posse quod praetermissum noceret agi, respondit. quapropter si pater familias bouem, qui in specus decidisset adhibitis operis liberasset, aut tecti fractam trabem ab imminente ruina fulciendo uindicasset, ferias non uidebatur polluisse. Quod ergo hac lege dicitur, ferijs lites cessare, & eas in operibus seruari debere, non obtinet si necessitas urgeat, ut iam probatum est, & ex constitutionibus Alexandri & Gregorij pontificum, necnon imperatoris Constantini & aliorum legibus istud comprobatur. sed & Vergilius ipse necessitati religionem cedere his uerbis ostendit. Quippe etiam festis quaedam exercere diebus, Fas & iura sinunt, riuos deducere nulla Religio uetuit, segeti praetendere sepem insidias auibus moliri, incendere uepres, Balantumq; gregem fluuio mersare salubri. & complura rei urgentis exempla Vlpianus Constantinusq; imperator, Alexander pontifex, & alij sub titulo de ferijs enumerant. ab hac lege consensus etiam litigantium eximitur. E uoluntate enim partium, ut Gregor. antistes, & Vlpianus scribunt, messuum, uindemiarumq; tempore, & alijs ferijs ob necessitatem hominum inductis, iudicium, & iurgia exerceri possunt. In dies autem siue ferias dijs dedicatas partium consensus nihil potest. Quinimo ut hac x i i. tabu. lege exprimitur ferijs, certisq; diebus etiam a sacerdotibus additis sacrificia dijs fieri, &

& certæ fruges & baccaë libari debebant. Itaq; obseruan-
 dum est, non licuisse sacerdotibus omnem fructum libare.
 nam è vitibus non putatis non esse dijs libandum, neq; sine
 farina sacrificandum, & alia quedam id genus Numa
 constituit. sed hæc Numæ instituta posteriorum pontificum
 negligentia Cicero fuisse dissoluta refert. De feriarum au-
 tem atq; festorum obseruatione præclare Leo imperator
 ait, si seruaretur. Vt dies festi altissimæ maiestati dedicati
 nullis uoluptatibus occupentur, nullis exactio-
 nibus prophanentur, ut nulla tunc quenquam urgeret ad-
 monitio, nulla fideiussionis flagitaretur exactio, taceret
 apparitio, aduocatio delitesceret, ut ille dies à cognitioni-
 bus esset alienus, uox præconis horrida silesceret, à con-
 trouersijs litigantes respirarent, & scederis haberent in-
 terualla. Magna proculdubio fuit Romanorum religio, ut
 ferijs iurgia amouerent, & diuinis operam darent. Ego
 hæc legens præ pudore obmutesco, dum nostros Christia-
 nos ferijs uoluptati, & delicijs indulgentes Romanis confe-
 ro religiosus. Qualiter autem hodie prædicta quatuor fe-
 riarum genera à iurisperitis constituantur, facile è titulo
 de ferijs & alijs deprehendes. hæctenus de festis diebus.
 Profesti uerò dies hominibus, ut dictum est, ad Reipublicæ
 & priuatae administrationem concessi fuerunt, & eis dies
 fasti, inerant, comitiales, comperendini, Stati, & prælia-
 res. Fastis tria uerba solennia, do, dico, addico, fieri prætori
 licebat. dies his contrarij dicebantur nefasti. Comitilibus
 uerò agi cum populo licebat. & fastis quidem lege non
 cum populo agi permittebatur. Comitilibus fieri utrun-
 que poterat. De his diebus Ouidium sic loquentem audia-
 mus, ille nefastus erit per quem tria uerba silentur, Fastus
 crit per quem lege licebit agi. Est quoq; quo populum us

est includere septis. Comperendinis autem uadimonium dicere permissum erat. Stati uerò dies iudicij caussa cum hoste instituebantur, de his unam x i i. tab. legem postea referemus. Præliaribus res repetere, uel hostem laceffere fas erat. nam Latinarum tempore quo publicæ quōdam inter Romanum populum Latinosq; firmatæ sunt induciæ, prælium inchoare nefas erat. Nec Saturni festo, qui sine ullo bello imperasse creditur, nec patentem mundo, quod sacrū Diti & Proserpinæ dedicatum est, meliusq; occlusa Plutonis fauce Romani eundem ad prælium putauerūt. Ad uiros insuper uocandos ferias, & dies qui rebus aduersis notati essent, sicut à Varrone didici, ueteres uitabant. hæc tamen in prælio sumendo diligens obseruatio erat, cum Romani bellum inferebant, aut quū exciperēt omnibus diebus salutem propriam: aut publicam defendere dignitatem, sublata eligendi facultate, permissum erat. Iusti autem dies triginta dies continui dicebantur, quibus exercitu imperato uexillum rufi coloris in arce ponebatur. Dies uero Postriduani decreto pōtificum neq; præliares, neq; puri, neq; comitiales, sed atri erāt, & in omnibus cauebantur. Hoc quoque Ouidius in fastis exprimit, cum de Calendis, Idibus, & Nonis mentionem fecisset. Omnibus istis (ne fallare caue) proximus ater erit. Nomen ab euentu est, illis nam Roma diebus, Marte sub aduerso tristia damna tulit. Tertiam speciem dierum cuiusq; mensis intercesi dies constituerunt, & dijs hominibusq; communes erant. Quibusdam enim illorum dierum horis fas, quibusdam nefas ius dicere fuit. nam cum hostia cædebatur fari nefas erat, sed ea intercesa & porrecta fari licebat, & ideo Ouid. in fastis ait, Nec toto perstare die sua iura putaris. Qui iam fastus erit, mane nefastus erat. Nam simul exta deo data sunt, licet omnia fari,

Verb

Verbaq; honoratus libera prætor habet. Prædicta si Var-
ronem de lingua latina legeris, tibi magis nota erunt, plu-
rima enim ad hanc legem pertinentia breuitatis caussa o-
mitto. Deinceps in lege est, Vt sacerdotes Baccas & fru-
ges, libent, de aruorum sacerdotibus & alijs intelligendū
est. quosdam enim aruorum sacerdotes Romulus auctore
Plinio imprimis instituit. Nam cum Acca Larentia ut in
primo memorabil. Massurius Sabinus scribit, x i i. liberos
suscepisset, & unū in morte amisisset, in illius locū Romu-
lus sese Larentiæ filium dedit, seq; & cæteros Accæ filios
aruales fratres appellauit, & ex eo tempore collegium,
x i i. fratrum arualium in Repub. mansit, à ferendoq; &
aruus fratres aruales secundū Varro. dicti sunt. nam ut fru-
ges arua ferrent, sacra publica faciebant. Et è Numæ insti-
tuto, ut Pli. ait, sacerdotes ipsi deos fruge colebāt, & mola
salsa atq; tosto farre supplicabant, et Fornacalia farris tor-
rendi ferias ab ipso Numa institutas cum populo seruabāt.
ac nullus quidem nouas fruges ut uina degustabat, antequā
sacerdotes primitias libassent. sed in uino dijs prolibando
sacerdotes obseruasse Plinius tradit, ut ex uino imputatæ
uitis fulmine tactæ solum dijs libarent, quod ideo à Numa
constitutum traditur, ut homines putare uites cogerentur.
Insigne sacerdotij fratrum arualium spicea corona, & al-
bæ infule erant, sicuti apud Gell. comperimus, & Romulo
spicea corona quæ uitta alba colligabatur, in sacerdotio ab
Acca Larentia pro insigni religiosissimo data est. Lacte
etiā et foetu animalium à sacerdotibus dijs fiebat sacrificiū,
in qua re ne deliqui posset, sacerdotes foetus ætatē obserua-
bāt, non enim cuiuslibet ætatis foetus sacrificio aptus dice-
batur, ut è Plinio didicimus. Suis enim foetus sacrificio die
quinto, pecoris uerò die septimo purus erat. Ast trigesimo
c 3 die bo

die bouis fœtus sacrificio aptus erat, & forte in uitulo maiorem ætatem quàm alio fœtu Romani sacerdotes exigebant. quoniam consummata mensura, ut in cæteris animalibus contingit, uitulus natus caudam statim non habet, & antequàm cauda articulũ suffraginis contingeret, non posse id animal litare credebant, ut à Plinio traditur. Lacte uero pro uino & pro lactentibus sacrificare apud sacellum diuæ Rumiæ, ut Varro scribit, pastores solebant. Rumia enim dea pueris lactentibus præsidebat. Lacte etiam sicut uino, & melle Cereri libatum fuisse Vergilius his uerbis testatur, Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret, Cui tu lacte fauos, & nuti dilue Baccho. ubi Seruius pontificales libros uini etiam non prohibuisse sacrificiũ contra quorundam sententiam probat & ostendit. uinum enim omnibus sacris præsertim Cereris fuisse uetitum Macrobius et alij quidam putabant, & ideo aliter hunc Vergilij locum ne contra religionẽ diceret, enarrabant. quod Seruius non recepit. Romulus quoq; non uino sed lacte libauit, quod à posteris in sacris ab eo institutis seruatum est. Posthumia tandem Pompilij lex, propter uini inopiam, eo spargere rogam prohibuit. sed e uino amputatæ uitæ libare dijs concessit. hac lege sic enarrata ad alias transeamus.

Quæq; cuiq; diuo decoræ gratæ sint hostiæ, sacerdotes prouidento. diuisq; aliis alij sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunt. Virginesque Vestales in urbe, ignem foci publici sempiternum custodiunt. Quæque & priuatim, & publice, modo, rituq; fiant discunt ignari à publicis sacerdotibus.

Macrobius post Trebatium de religiõibus duo esse hostiarum genera

genera tradit. unum in quo dei uolūtas per exta exquiritur alterum in quo sola anima deo sacratur. & has secundas hostias aruspices uocant animales. Vtrunq; hostiarum genus Maro carmine ostendit, primū quidē hoc, Mactat lectas de more bidētes, Pecudumq; reclusis pectoribus inhiās spirātia consulit exta. Hostia animalis meminit, dū Entellus taurum mactans apud eum dicit, hanc tibi Eryx meliorem animā pro morte Daretis persoluo. Marcellus uerò ut ceteros omittā, cum Pœnorum exercitū aut in Italia prostertere, aut Italia pellere summo niteretur studio, solēni sacrificio uolūtates deorū explorauit, & cum exta Aruspici nō placerēt, Marcellū ne quid temere ageret, monuit. sed postea nocte Marcellus speculādi gratia cū paucis egressus ab hoste interfectus est. Ex his hostijs animalibus aut cōsultorijs quædā iniuges, eo quod nūquā domitæ aut iugo subditæ fuerāt, uocabātur, quam rem sic Virg. explicat, Nunc grege de intacto septem mactare iuuenicos Præstiterit, totidā lectas de more bidētes, et intactas totidē ceruice iuuenicas. Ambarualis etiam quædā hostia erat, & ut Festus ait, pro frugibus et aruis à duodecim fratribus sacrificabatur. & quia circū arua à sacrificātibus ducebatur, Ambarualis hostia appellata est, huius sacrificij genus sic Ver. in Geor. exprimit. Terq; nouas circū felix eat hostia fruges, Omnis quā chorus, & socij comitātur ouantes. Et Cererē clamore uocent in tecta. Et hoc Ambaruale sacrificiū, ut Seruius refert, sæpe fieri porca foecunda & grauida consueuerat. Hoc & alijs locis probatur satis Maronem sine Pontificio iure, de quo his legibus agitur, non posse intelligi. discant igitur hasce leges, qui Vergilium habere cupiunt, & poëtarum fateantur studiosi iuris notitiā suo non officere poëmati. De secundo hostiarum genere animali scilicet credi-

mis magis hanc debere legem intelligi, prouidendum enim
 erat, ut Marcus Cicero interpretatur, quibus hostijs cuiq;
 deo immolandum esset, cui scilicet maioribus, cui lactenti-
 bus, cui maribus, cui sceminis, non omnes certe cuiq; deo
 gratæ erant hostiæ. Ioui enim ut Atteius Capito iuriskon-
 sult. lib. 1. de iure sacrificiorum refert, immolari tauro,
 uerre, ariete non licebat. & si quis forte ei tauro sacri-
 ficium faceret, piaculum dabat. unde Maro cum Cælicolum
 regi mactaretur in lictore taurus, secutum dicit horren-
 dum dictu et uisu memorabile monstrum. sed Apollini, Ne-
 pruno, & Marti taurus autore Antistio Lebeone immo-
 labatur, quod Vergilius non ignorauit dicēs, Sic fatus me-
 ritos aris mactauit honores, Taurum Neptuno, taurum ti-
 bi pulcher Apollo. Iuuenicum tamen Ioui fuisse immolatum
 Seruius dicit, quod omisso Vergilio & alijs Iuuenalis hoc
 carmine ostendit, niueam reginæ cedimus agnam. Par uel-
 lus dabitur pugnati Gorgone Maura, Sed procul extēs sum
 petulans quatit hostia funem. Tarpeio seruata Ioui fron-
 temq; coruscat, Quippe ferox uitulus templis niaturus &
 aræ, Spargēdusq; mero, quem iam pudet ubera matris Du-
 cere, qui uexat nascenti robora cornu. Equus etiam Marti
 immolabatur, eo quod per eius effigiem, ut Festus ait, Tro-
 iani capti essent, uel quod eo animalis genere Mars oble-
 ctari putaretur. Et Ioui omnibus Idibus ouis mactabatur,
 unde Idulis, ut Festo placet, appellata est. De hac re Oui-
 dius hisce uerbis meminit, Idibus alba Ioui grandior agna
 cedit. Mineruæ autem capræ immolabantur, nam ut Plin.
 30. cap. lib. 8. Caprarum morsus arbori exitialis est, oli-
 uam lambendo quoque sterilem faciunt, eaq; ex causa Mi-
 neruæ immolabatur. Numinibus enim uictimæ, ut Seruius
 in li. Ver. ait, aut per similitudinem, aut per contrarietate
 immol

immolabantur. Per similitudinem ut nigrum pecus Plutoni. & ideo Anchises Aeneae filio in somnis dixit, ut in infernum ad se descenderet, et quod eum illuc multo nigrarum pecudū sanguine casta Sibylla duceret. Per contrarietatem porca quae obest frugibus Cereri, & caper qui vitibus obest Baccho immolabantur, quod Virg. 2. Georg. lib. ostendit, cum non aliam ob culpam Baccho caprum cædi aris omnibus dicit, quàm quod vitibus noceret. Item capra quae nunquã febre caret, per contrarietatem Aesculapio deo salutis immolabatur, necnon & Mineruae, ut dictum est, quia oliuam eius arborem lambendo sterilem faciebat, ipsa capra immolabatur. Prima uerò hostia, sus, secunda caper fuisse putantur, ut hoc Ouidij carmen libr. Metam. 15. probare uidetur, & prima putatur hostia Sus meruisse mori, quia semina pando Eruerit rostro, spemq; interceperit anni. Vite caper morso Bacchi mactatus ad aras Dicitur ultoris, nocuit sua culpa duobus. Idem ex Ouidi. in fastis deprehenditur. Sic alijs dijs aliæ placebant hostiæ, ut ex antiquis scriptoribus intelligere licet, Sed pudet non expositio hostiæ & uictimæ significato hæctenus processisse. Victimæ & hostia omne animal dicitur, quod deo immolatur. & Hostia secundū festum ab hostire, quod est ferire dicta est. sed quid inter hæc duo intersit, Quid. hoc carmine demonstrat uictima quæ dextra cecidit uictrice uocatur, Hostibus à domitis hostia nomen habet. Auratis etiam interdū cornibus Romani in honorē deorum hostias, sed maiores dūtaxat immolabāt, ut apud Pli. legimus. Planè Galli ut quidā alij, nouum hostiarū genus immolabāt. nam grauioribus morbis affectos in prælijs, periculisq; uersantes, pro uictimis aut immolabant, aut se immolatos homines uocabāt, ut Cæsar in cōmentarijs refert, administrisq; ad
ea sac

ea sacrificia Druidibus utebatur, credebant enim in uitam tantum hominis redimi uitam hominis posse. Sed senatusconsultum Cn. Cornelio Lentulo. P. L. Crasso consulis factum est, ne homo immolaretur, quo hoc sacrificij genus sublatum est. deinde Tiberij Caesaris principatus Druidas quoque Galorum subtulit, ut omnia Plin. refert. A sacrificantibus fuisse etiam obseruatum Macr. tradit, ut si hostia quae ad aras ducebatur uehementer reluctata fuisset, et se in uitam admo- ueri altaribus ostendisset, renueretur, quia eam inuito deo inferri putabant. Eam autem quae oblata stetit, uolenti numini dari existimabant, unde poeta ait, Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aras. Titus paulo ante quam moreretur tristior factus est quod sacrificati hostia aufugerat, et quod tempestate serena tonuerat. Sed Caesar licet ei immolanti hostia aufugisset, profectio- nem aduersus Iuba et Scipione non distulit. Vitulos quoque ad aras humeris hominis allatos non litasse, sicut nec claudicante, nec aliena hostia deos fuisse placatos notatum est, ut Plinius tradit. Constitutis dijs, sacerdotes qui eorum ostenta et cerimonias tractarent, haec lex constituit. et quia omnis populi Romani religio in sacra, auspiciaque, et Aruspicum praedictiones, interpretationes uel diuisa erat, ut apud Cice. de natura deorum Cotta dicebat, primo sacrorum, deinde auspicio- rum sacerdotes, tum portetorum interpretes sigillatim sequentibus ostendentur legibus, quod ad Numae Popilij religionem pertinet. is enim ut apud Halicar. legimus diuini cultus institutionem, praedicta distinguendo, in octo partes diuisit, et eas totidem ministris tradidit Curionibus scilicet, flaminibus, Celerum di- cibus, Auguribus, uirginibus Vestalibus, Salijs, Foecialibus et pontificibus. Quinque ex his sacerdotum generibus hac lege et sequentibus explicantur. In primis, ut omnibus dijs pon- tifices,

tificēs, & singulis flamines essent, hac lege præcipitur. Porro sacra omnia exscripta, exignataq; Numa pontifici attribuit, ut apud Liuium inuenimus, & quibus hostijs, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, cæteraq; omnia publica priuataq; sacra pontificis scitis subiecit, ut esset quò consultum plebs ueniret, ne quid diuini iuris patrios ritus negligendo, & peregrinos asciscendo turbaretur. Voluit quoque Numa Pompilius, ut non solum cœlestes ceremonias, sed iusta etiam funebria, placandosq; manes idem pontifex edoceret, & quæ prodigia fulminibus, alio'ue quouis modo missa susciperentur, atq; curarentur, in pontificis cura esse uoluit. Ius quoq; ciuile, & interpretandi scientia, & actiones populo dandæ tamdiu apud collegium pontificum inter sacra ceremoniasq; deorum fuerunt, dum has actiones ab App. Claudio in formam redactas, Cn. Fuluius scriba, & libertino patre genitus, populo tradiderit, & ius ciuile uulgauerit, ut à Pomponio, Valerio, Liuiio, & alijs memoriæ traditum est. Flamines uerò quod caput filo cinctum haberent, hoc nomine dicti fuerunt: quorum singuli, ut Varro testis est, ab eo deo cui sacra faciebant, cognomina habebant, sed partim aperta erant, ut Flamen Martialis, & Vulcanalis, partim obscura, ut flamē Dialis, Furinalis, & Falacer, et Cæsar adolescēs adhuc flamē Dialis fuit destinatus. sed Sylla eū quia Marij partes sequebatur, & Corneliæ Cinnæ filiam repudiare nolebat, hoc sacerdotio priuauit, Multæ ceremoniæ flammī Diali impositæ fuerunt, quas Gel. li. 20. commemorat. equo enim uehi flammī Diali non licebat, ne ut Festus tradit, si longius digrederetur sacra negligenterentur. Item iurare Dialectem, uel anulo uti, aut hederā, fabam'ue tangere, uel nominare nefas erat. neq; aliquem in se nodum habere poterat, quod integrā fidē, optimosq;

mosq; mores, ut aliqui scribunt, designabat, ne dissimulanter aliquid, aut subdole in deorum sacris ageret, sed libere & aperte ad fidem & ueritatē omnia referret. Præterea si uin' Tus ædes flaminis Dialis introibat, uiculis soluebatur & si quis uerberandus erat, & ad pedes eius supplex procumbebat, eo die non uerberabatur. Tunicam intimā, nisi in locis tectis, non exuebat, ne sub cœlo tanquā sub oculis Iouis nudus esset. In conuiuio præter regem sacrificulum, nemo flaminē Dialem præcedebat. Si uxorem amittebat, Flaminio decedebat. Eius matrimonium sola morte dirumpebatur. hoc quoq; prætoris edicto Flamen iurare non cogebatur, Sacerdotem Vestalem, et Flaminem Dialem in omni mea iurisdictione iurare non cogam. Insuper flamines uidere ferijs opus fieri autore Macr. prohibitum erat, & ideo ne quid tale ageretur, per præconem denunciabāt, præceptiq; negligēs mulctabatur. hæ sunt digniores cerimonie, quas ueteres flamine Diali imposuerant, reliquas utpote Violares relinquimus, quas antiquitatis studiosus apud Festum, Gelliumq; & alios inueniet. Nonnulla ex antiquis cerimonijs paulatim deinde abolita, ut Salutis auguriū, Diale Flaminium, & sacrum Lupercale. Seculares, et Compitalitios ludos Augustus pontifex restituit. Ius uerò flaminū et aliorum sacerdotum subrogandorum à collegijs ad populū Cn. Domitius in tribunatu transtulit, cum pontificibus, ut Tranquillus in Nerone scribit, offensior esset, quod alium quā se in patris sui locum cooptassent. Vestales autem uirgines curam ignis sempiterni habebant, quarum negligentia si forte extinguebatur, flagro à pontifice maximo cædebantur, & hostijs maioribus procurabatur, supplicatio ad Vestæ aram habebatur. quod P. Licij pontificis temporibus sancto igne extincto factum comperimus.

Sed

Sed longe plura quàm hac lege dicatur, ipsæ Vestales facere debebant. nam triginta annis ex constitutione Numæ Pompilij seruare castitatem astringebantur, ac primo decennio facienda discabant, secundo autem quæ didicerant faciebant, reliquo uerò decennio hæ alias docebant. Post id tempus & nubere, & aliam uitam agere eis permuttebatur. pauca tamen ad alium uiuendi modum transuerunt, sed & hæ infelices successus habuerunt. Alioquin magnus honor datus est Vestalibus, ut cum sacibus prodeuntes deducerentur. ut qui ad letum ducebatur, si casu, non data opera ei Vestales occurrerent, impune dimitteretur. Præterea ea cuius soror ad id sacerdotium lecta erat, excusationem habebat, sicut ea cuius pater flamen, uel augur, aut xv uir, sacris faciundis aut vii uir, epulonum, Salius uel erat. Sponsæ quoque pontificis, aut tibicinis sacrorum filia, uacatio ab huiusmodi sacerdotio tribuebatur, eius etiam filia excusabatur, quæ tris liberos uel domicilium in Italia non habebat. Hanc legem non omnino spreuit Christiana religio, quoniam pontifices habet qui omnium diuorum ædes, cultum, atq; sacra curant & tuentur. & qui curam ipsius Christianæ religionis habent singulis quoq; diuis Christiani sacerdotes attribuunt, ut de Benedicto, Francisco, Antonio, & alijs diuis uidemus, qui proprios sacerdotes habent. sed & Diuarum mulierum cultui religio nostra sacras uirgines dedicat. Satis de flaminibus & Vestalibus dictum est, & ideo leges quæ augurum uel aliorum sacerdotum potestatem docent, nunc uideamus.

Eorum autem duo genera sunt, unum quod sacris & cerimonijs præsit, alterum quod interpretetur fatidicorum & uatum effata incognita, quum

ta, quum senatus populusq; asciuerit. Interpretes autem Iouis optimi maximi publici augures signis, & auspicijs postea uideō. Disciplinam tenento, Sacerdotesq; uineta, uirgetaq; & salutem populi auguranto, quiq; rem duelli agent, quiq; populare auspiciū præmonento, illisq; obtemperanto, diuorumq; iras prouidento, ijsq; parento, cæliq; fulgura regionibus ratis temperanto. Urbemq; & agros, & templa liberata & effata habento. Quæq; augur iniusta, nefasta, uiciofa, diræue dixerit, irrita, infectaq; sunt. Quiq; non paruerit, capitale esto. Fœderumq; pacis, belli, induciarum, oratorum, speciales iudices ne sunt. Bella disceptanto, prodigia, portenta, ad Hetruscos & aruspices si senatus iusserit, deferunto. Hetruriæq; principes disciplinam docento, quibus diuis creuerint procurantor. Idemq; fulgura atq; oscina pianto.

Hanc legē Valerius post Cicero, in oratione de Aruspicum responsis enodat quum dicit, Maiores statas, solennesq; caerimonias, pontificum scientia, bene gerendarum rerum auctoritate, Augurum obseruatione, Apollinis prædictione, Vatum libris, portetorumq; depulsis, Hertrusca disciplina explicari uoluerunt. Et Marcus idem Cicero non solum ad religionē, sed etiam ad ciuitatis statum hanc legem pertinere dicit, ut sine his qui sacris publicæ præsent, religioni priuatae satisfieri non possit. Descriptio quoq; sacerdotum hac lege facta, nullum iustæ religionis genus prætermittit. nam sunt, ut Cicero inquit, ad placandos deos alij constituti, qui

sacris

Sacris præsent solennibus. alij ad interpretanda uatum præ-
dicta sacerdotes sunt constituti, et ut cæli fulgura certis re-
gionibus temperent. nã è quatuor cæli regionibus duæ se-
ptētrio, & meridies statu perpetuo manent. alij uerò ortus
scilicet & occasus mobiles ac uarij sunt. sol enim nō semper
eodem modo oritur, sed aut æquinoctialis, uel solstitialis, aut
brumalis oriens dicitur. Item nō in eundē locū semper occi-
dit, sed eius occasus similiter æquinoctialis, aut solstitialis,
uel brumalis est. Sed maximū in repub. fuisse ius augurum
autoritati coniunctū Cicero elegāter probat, quoniã à sum-
mis imperijs, & summis potestatibus comitia tollere, &
cōsilia uel instituta dimittere, uel habita rescindere poterat,
resq; susceptæ uno augure aliter dicente, dirimebātur. Sed
ut magistratu se abdicarent C O S S. decernere poterāt au-
gures, ut de Scipione & Figulo legimus. Augures enim cū
à Tiberio Graccho hos C O S S. fuisse uitio creatos intelli-
gerent, id ad senatū retulerunt, unde iussu eius C. Figulus è
Gallia, & Scipio Nasica è Corsica Romā redierunt, & se
consulatu abdicauerūt. & ius cū Po. & plebe agēdi aut da-
re, aut nō dare in augurū erat arbitrio. Legem quoq; si non
interrogata erat auguribus tollere licebat, & hæc omnia
hac lege exprimuntur: ut quæque augur iniusta, nefasta di-
xisset, irrita infectaq; essent. pœnas etiã auguri non obediēs
dabat, religioni enim parendum esse. nec morem patriū im-
pune cōtumaciter repudiendū ueteres constituerunt. Itaq;
cum P. Claudius, & L. Iunius consules cōtra auspicia nau-
gassent, & ab hostibus Claudius deuictus esset à populo
condēnatus est. Iunius autē classe tempestate amissa sibi ne-
cem consciuit. Ritum autem inauguradi talem fuisse ex Li-
uio colligimus. Augur enim dextra manu baculum sine no-
do aduncum tenens, capto in urbem agrumq; prospectu,

deos precatuſ, regiones ab oriente ad occaſum determina-
bat, dexterarſq; ad meridiem partes, & læuas ad Septen-
trionem eſſe dicebat, ac ſignum contra, quo longiſſimè ocu-
li conſpectum ferebant animo finiebat. deinde baculo in læ-
uam manum translato, dextrā in eo pro quo ſumebatur au-
guriū, imponebat, tum deos orabat, ut inter eos fines quos
fecerat, clara ſigna eſſent, poſtremo miſſis ſignis, augurium
ſumptum erat. Hi augures à ſacerdotibus deſignabantur,
& ut Plutarchus in Marcello refert, ex auibus uaticinia
contēplari, ac obſeruare ſolebant. Feſtus plus tradit, quinſq;
ſignorum genera è cælo, & auibus, è tripudijs, quadrupe-
dibus, & diris obſeruaffe augures. & ideo ſtygius bubo
Didonis mortē prædixit, & Cæſaris necē, tubæ in cælo au-
ditæ, Sol, Luna, faceſq; uiſæ ſub aſtris. Regaliolus à uarijs
generis uolucris diſcerptus, & equorum greges pabulo
abſtinentes, ubertimq; flētes. Canes quoq; in foro & circū
templa deorū ululantes præmonuiſſe dicuntur, ut apud Plut.
Tranquillumq; & Ouid. reperimus. Sed ex auibus triplici-
ter auguria capiebantur, nam aliæ uolatu, aliæ cantu futu-
ra prædicebant, & illæ quidē præpetes, hæ oſcinæ diceban-
tur. ex auitū quoq; gultatu auguria ſumebantur, ut cū pullis
è cauea ad eorū custodiam inſtituta emiſſis eſca porrigeba-
tur, quā ſi non capiebant, pernitieſ portēdebat. quapro-
pter infelicem cladē à Numātinis Mancino illatam prædi-
xerunt pulli, qui è cauea emiſſi, neglecta eſca in proximam
ſyluā fugierūt. ſummaq; diligētia quæſiti reperiri nequiue-
runt. moſ enim teſte Seruio Romanis erat, in comatijs agē-
dis, & bellis gerendis pullaria captare auguria. Sed ne du-
bites uiros illuſtres hoc ſacerdotium habuiſſe, & Helenus
Priami filius, Romulus, Marcellus, Cice. Paulus, & com-
plures alij augures fuerunt. nec ſit mirū cum patritium in
initio

initio sacerdotium esset, sed tandē plebiscito Oguinio plebs ad id sacerdotiū, admissa est, et quinq; augures C. Genutius, P. Aclius, M. Minutius, C. Marcius, L. Publius, M. Valerio. & Q. Apuleio consulibus, e plebe adiecti sunt. In bello quoq; suscipiendo, gerēdo, & deponendo publici interpretes erant, & auspicia obseruabantur, magnam certē religionem Ro. in bellis habebant. Imprimis ut iustū conciperetur bellum, paxq; fieret, fœciales cōstituerunt, apud quos belli pacisq; faciendæ secundū Festū ius erat, ut hac lege dicitur. prēmūtēbātur enim fœciales ut bellū indicerēt, neq; aliter geri bellū iuste dicebatur. per eos quoq; fœdus percutiebatur. Quibus autem uerbis bellū fœciales indicerent, & quibus fœdus fœcerent, Liuius lib. 1. ostendit. Fœcialium quoq; potestātē in rebus bellicis Dionysius Hali. & Plut. in Numæ uita diligētē explicant. Primū igitur fœciales bellum indicebāt, auspicijs deinde sumptis, factōq; dijs sacrificio Romani duces in bellū proficiscebantur. apud antiquos enim, ut Vale. Cicero, & alij referūt, nihil publice, aut priuatim, nisi auspicio prius sumpto gerebatur, & ante pugnā ineundā, ac pericula suscipiēda deos consulere mos Romanis erat. ut Plu. in Camillo scribit. Proinde cum Posthumius consul, & flamen ad bellum gerēdum Africā petiturus esset, à Metello pontifice urbē egredi, desertis Martis cerimonijs, sacrisq; omīssis prohibitus est. Romani tamen cū Brennus Gallorum rex urbem bello obsideret, & oppugnaret, usq; adeo turbati fuerūt, ut nec litato, nec auspicato, rem gerere recordati fuerint. In initio quoq; pugnae Superos e more Romani adorabāt, quod Marcellus consul cum Viridomaro Gallorum rege pugnaturus præter opinionem fecisse traditur. suos enim milites ad conferendas manus conuertens, ab equo hostium clamore, & strepitu perterritus ui-

lenter retro ablatuſ eſt. Sed retractis ſtatim habenis, ne caſu magis quàm conſilio eo circuitu uſuſ uideretur, ſolem ſupplex adorauit, & ſolitam Roma. religionem ſeruauit. Duce autem bellum gerente, ſi proſpere gerebat, nec bellum ciuile erat, trophæum ponebatur, & ſupplicationes à Ro. fiebant. unde Aeneas occiſo Mezentio, licet nondum plenam uictoriam conſecutus eſſet, tamen trophæum conſtituit & poſuit, ut Vergilius Aeneæ morem Romanorum tribuens docet, & Seruius hoc enarrat. Veijs autem à Camillo dictatore captis, ſenatus quatuor dierum ſupplicationes decreuit. Cæſar quoq; rebus in Gallia proſpere ſuccedentibus, ſæpius multorum dierum ſupplicationes impetrauit, ſic in alijs compluribus bellis eueniſſe reperies. Interdum duces exercitus in prælio ancipiti uouebāt, & poſt bellum conſectum uota ſoluebant. ſic de Romulo comperimus, qui Sabinis ſuperantibus adem Ioui Statori uouit. M. etiam Fuluius ludos quos eo die quo Ambratiam cœpiſſet, ſe uouiſſe Ioui Opt. Max. dicebat. Senatus facere magna impenſa promiſit. Poſthumius quoq; templum Caſtori Latino bello uouit, quod poſtea filius eius dedicauit. A Marcello etiam conſule Honori & Virtuti poſt Claſtidium & Syracuſas captas, ædes nuncupatis debita uotis conſecrata eſt. Conſtat etiam Auguſt. Bello Philippenſi pro ultione paterna ſuſcepto, ædem Marti ultori uouiſſe, ac poſtea extruxiſſe, & ut abſoluam, Matri deūm imperatores Romani uictoriarum compotes ſuſcepta uota Peſinuntem proſecti ſepenumero ſoluerunt, ut Vale. ait. Inclinate quoq; acie conſul interdum, prætor aut Dictator ſe uel unum militem ſcriptum, & legiones hoſtium pro ſalute exercitus Po. Ro. dijs manibus deuouebant. & ſi deuotus homo moriebatur, probe factum uidebatur, & bene cum Romanorum

rum exercitu agebatur, ut de Decijs patre & filio legimus, qui consulatum gerentes caput suum pro salute reipublicæ deuouerunt, ac protinus incitatis equis medium hostium agmen petierunt, & facta ingenti hostium strage demum Romanis legionibus uictoriam morte sua dederunt. Si autem priuatus homo deuotus non moriebatur, piaculum hostia cædebatur. Sed si imperator se deuouens superuiuebat, neque suum, neq; publicum diuinum pure faciebat, & hæc, deuotionisq; formam abunde Liuius lib. 8. tradidit. Quod si aliquam hostium urbem Romani obsidebant, deos Tutelares. i. deos in cuius tutela urbs illa esse dicebatur, certo carmine primum euocabant, ut sacrilegia Seruij testimonio euitarentur, & quod aliter urbem capi posse non credebant, aut etiam si capi posset, nefas deos habere captiuos arbitrabantur. deinde numinibus iam euocatis Dictatores, aut imperatores exercitus, et urbes deuuebant. huius religionis Maro noster meminit cū ait, Excesse-
re omnes adytis arisq; relictis, Dij quibus imperiū hoc steterat. & ibi. Ferus omnia Iuppiter Argos transtulit. Si quis autem euocationis & deuotionis uerba quæ pulchra sunt, intelligere cupiat, Macrobius in Satur. legat. Confecto bello, et hostibus superatis, duces exercitus quatuor equis albis curru inaurato iūctis deuecti Romā triūphantes ingrediebantur, & capite laurea coronato, captiuisq; cathenatis præcedētib; atq; senatu præeūte ad Iouis Opt. Max. templum, quod in Capitolio erat, ascendebant, & ibi immolato tauro albo domū redibant, ut e Liuius, Plutar. & alijs colligitur. Quod si ouatio e leui prælio uel alia ratione alicui decernebatur, equo albo per urbem uectus Capitolium ascendebat, & ibi ouem sacrificabat, unde ouare ut Plut. & Ser. placet, dictum est. Festus tamen à uoce ouantum subse-

d 4 quent

quentium ouare dictum esse putat. milites quoq; ut in uita Marcelli Plut. author est, in triumpho bouem, in ouatione immolare ouem consueuerant. Imperatores deinde uota, ut diximus si quæ susceperāt, persoluebāt. Romulus etiā Cenitensibus superatis Ioui Feretrio hostis spolia dedicauit, huiusq; dei templū sedem esse opimis spolijs dixit, quæ regibus hostiumq; ducibus cæsis sui exemplo posteri ferrent. Augustus postea sanxit, ut in æde Martis quā extruxerat, Senatus de bellis, triumphisq; consuleretur, & ut prouincias cum imperio petitori hinc deducerentur. uoluitq; & constituit ut qui uictores rediissent, in illam ædem insignia triumphorum inferrent. Omnes autem exercituum duces, qui bene de Roma religione sentiebant, præscriptam dijs religionem præstabant. & qui hanc religionem contempserunt, inuitisq; dijs, uel aliter quam admonerent, bellum susceperunt, rem nequaquam prospere gesserunt, in qua re nobis Marcus Crassus exemplo fuerit, qui prodigijs & ostentis deorum, ne in Parthos duceret exercitum, admonebatur. A Carris enim aduersus Parthos ei ducturo exercitum pullū est traditum paludamentum, quum in prælium exeuntibus albū aut purpureum dari soleret. unde mœsti et taciti milites ad principia conuenerunt, neq; secundum uetus institutū cum alacri clamore accurrerunt. insuper aquilarum altera uix tunc conuelli à primipilo potuit, altera ægerrime extracta in contrariam quam ferebatur partem, seipsam conuertit. Ipse quoque Crassus quoddam Iunonis templū egrediens filiū offenso pede prostratum, eodem casu lapsus secutus est. his tamen & alijs neglectis deorum ostentis ab incepto non destitit, unde poenas acerrimas dedit. apud Parthos enim perijt, & filius, ac cum eis multa Roma. milia. Pulcher quoq; Claudius apud Siciliam, non

pascen

pascentibus in auspicando pullis, eos per contemptum religionis mari demersit, ut biberent cū comedere nollent, deinde praelium nauale iniit & superatus est, historiā legenti similia exempla occurrent. Ob hæc etiam sacra belli suscipiendi uiolata magnam calamitatem urbi contigisse fertur. nam cū Fabius Ambustus legatus ad castra Gallorū missus fuisset, ut pro Clusinis obsessis fœdera iniret, & ei ferociter Galli respondissent, ratus se legationis munere iam defunctum, uel alia ratione sumptis armis pro Clusinis quendam Gallum contra ius gentium interfecit, quare fœciales Fabium qui præter fidem & belli indicendi ordinē bellū Gallis intulerat, ipsis Gallis conquerentibus dandum suadebant. Sed hac re neglecta hostes hi paulo post totam urbem præter Capitolium in prædā uerterunt, atq; uastarunt. Tantam quoq; Cladem Mancinus consul apud Numantinos non accepisset, si pullis in syluam fugientibus credidisset, si uoci ut maneret præcipienti obtemperasset, & si alijs deorum ostentis, religioniq; paruisset. Disciplina autem aruspicum, quorum hæc lex meminit, magna apud ueteres fuit, mortem certè multorum prædicebant, ut de Spurina aruspice historici docent, qui Cæsarem in periculo futurum Idibus Martijs prædixit, & cum Idus Martiæ adessent, & Cæsar petens senatum, Spurinam irridendo Idus Martias sine ulla sua noxa uenisse diceret, Spurina Idus uenisse, sed non præterisse respōdit, unde illa die Cæsar in senatu occisus est. Ad hos & alios sacerdotes fulgurum, prodigiorumq; & oscinorum, ac portentorum notitiam pertinere hæc lex constituit. & ideo T. Gracchus duobus anguibus domi comprehensis aruspices conuocauit, qui hoc portentum interpretarentur. illi masculino angue necato Tiberij mortem, fœmina interfecta uxoris Corneliæ obitum portendi re-

sponderunt. & quia ambos liberare nefas erat, Tiberius
 anguem masculum interficiendo sibi mortem quam uxori
 parare maluit. In publicis quoque Hetruscorum et Aruspici-
 cum disciplinam res ipsa probauit. Nam cum primus roga-
 torum à Graccho comitia habente Scipionem & Figulum
 iterum consules retulisset, et ibidem repente mortuus esset,
 comitijs nihilominus peractis, id ostentū senatus ad Aruspici-
 ces more solito referendū censuit, qui introducti Gracchum
 non fuisse iustum comitiorum rogatorem responderunt.
 unde licet neglecto Aruspicum responso ipsi C O S S. iussu
 Gracchi in prouincias sibi datas profecti fuissent, tamen
 idem Gracchus postea recordatus quod in creatione ali-
 quas cerimonias omisisset, è prouincia per augures egit,
 quod hac ratione iussu Senatus C O S S. se magistratu abdi-
 cauerunt. Et licet Hetrusci Romanos disciplinam docerent,
 & undecim fulminum genera ponerent Romani, tamen
 sacerdotes & Aruspices duo ex his tantum diurna & no-
 cturna seruarunt, ut autor est Pli. diurnaq; Ioui, nocturna
 autem Summano ascripserunt. In uniuersum tamen fulgura
 autore Sexto Pomp. postularia, pestifera & peremptalia
 appellabant. Postularia secundum eos uotorū, uel sacrifici-
 orum spretā uel omisam religionem reposcebant. Pestife-
 ris interitus, exilium, uel clades aliqua denunciabatur, qua-
 re fulgur ex inscriptione statuæ Cæsaris August. primam
 nominis literā auferens, mortem ipsius Augusti Aruspicum
 responso post centum dies significauit. Peremptalia uerò
 fulgura superiorum fulgurum & prodigiorum significa-
 tiones perimebant. Inter publica quoq; & priuata fulmi-
 na Plin. discrimen posuit, ut priuata nisi primo matrimonio,
 uel natali die sacra essent, non ultra decimum annū porten-
 derent, cum publica quæ in oppidorum deductione non fie-
 bant,

bant, usq; ad triginta annos portenderent. hæc fulmina, sicut & prodigia portentaq; , ut hac lege continetur, Aruspices & sacerdotes ex Hetrusca disciplina in urbe procurabant, & rite, & tertio decimo anno belli punici hostijs maioribus non Aruspices, sed Veturius, & C. Metellus C O S S. prodigia, & fulgura, quæ tunc euenerant, ex senatusconsulto procurarunt, & supplicationem unam diem habuerunt. post interpretationem expiabant. expiandæ enim uocis nocturnæ gratia, quæ Gallos Romam capturos à luco Vestæ monuerat, sed neglecta fuerat, recuperata Roma à Gallis templum in noua uia Allocutio factum est. Cumq; media fori pars Serui. Hala, & L. Genutio C O S S. in immensam altitudinem collapsa esset, & ea re qua P. R. plurimum ualeret, compleri tantummodo posse Aruspices responderent, Curtius adolescens urbem Ro. uirtute armisq; præcipue excellere interpretatus, armis ornatus equum conscendit, et se, ne Resp. periret, in specum immisit, pristinumq; habitum continuo terra recuperauit. Sed plane quod hæc lex Hetruriae principes docere disciplinam dicit, Tullij atq; Valerij sententiam adiuuare uidetur, qui senatum decreuisse dicunt, ut decem principum filij singulis Hetruriae populis in disciplinam traderentur, eo quod Hetruria de caelo tacta scientissime animaduertebat, ac quid quibusq; monstris atque portentis ostenderetur, eadem diligenter interpretabatur. Sed quia me huius legis tædium capit, alias inquamus.

Nocturna mulierum sacrificia ne sunt, præter illa quæ pro populo rite fient, neue initiantur, nisi (ut assolet) Cereri Græco sacro. Sacrum commissum quod neque expiari poterit, impie
commi

commissum est. quod expiari poterit, publice sacerdotes expianto. Ludis publicis quod sine curriculo, & sine certatione corporum fiat, popularem lætitiã in cantu, & fidibus, & tibijs moderanto, eamq; cum diuum honore iungunt.

Hæc lex nocturna mulierũ sacrificia tollit, ut ipsarũ famam multorum oculis lux clara secundum Cice. custodiret. Solebant enim noctu certis dijs solæ mulieres sacrificia facere, quæ hic prohibentur, nisi pro populo, ut Bonæ deæ, et alijs fierent. Mos enim apud Romanos fuit, ut quotannis noctu pro salute ipsius populi Romani sacra in ædibus pontificis, maximæ Bonæ deæ fierent, sicut apud Plut. in uita Tullij et Cæsaris legimus. Neq; his sacris interesse uiro fas erat. quapropter Clodius de pollutis sacris accusatus est, eo quod domum Cæsaris ubi noctu hæc sacra fiebãt, Pompeiam ipsius Iulij uxorem amans ingressus est. Cererẽ quoq; more Græco uenerari mulieribus Romanis permissum est, & ne uetustis huius deæ ritibus perita decesset antistes, sacerdotem Caliphenã Romani à Velia petierũt. Et cãdida ueste ut auctor est Vale. matronæ Cereri sacrificabant, quod Ouid. in Meta. ostendit dicens, Festa piæ Cereris celebrabant annua matres, Illa quibus niuea uelata corpora ueste, Primitias frugum dant spicea ferta suarum. Neq; à matronis lugentibus peragi sacra Cereris poterant. unde cum post cladem Cannensem nulla mulier luctus expers fuisset, sacrum Cereris anniuersarium, ut Liui. scribit, intermissum est. ne tamen ob eandem caussam alia quoque sacra desererentur, triginta diebus senatusconsulto luctus fuit finitus. Plutarchus etiam Cereri templum quo mulieres sacrificarent
manibus

manibus Romulum statuisse dicit. Hac Roma. lege superstitionis Valdensium gentis maleficæ damnatur, qui nocturna quædam sacrificia agunt, & ibi lumine extincto libidinem exercent, & ut audio cuicumq; fœminæ non habito discrimine mater sit, an soror miscentur. Hac lege etiam mulieres admonentur, ne sancta Veneris die templa noctu adeundo se hominum cetui misceant, nam proculdubio aliquot inuitæ, complures libenter tunc pudicitiam prosterunt. Deinceps in lege est, ut ludi publici modeste fiant, & in deorum honorem, hominumq; delectationem, quod Valerius lib. 2. eleganter demonstrat, & Camillus diligenter obseruauit. Gallis enim superatis ludos Capitolinos fieri uoluit, eo quod Iuppiter Opt. Max. suam sedem atq; arcem Po. Ro. in re trepida tutatus esset, collegiumq; ad eam rem ex ijs, qui in Capitolio atq; arce habitarent, Dictator constituit. Augustum quoque nunciata clade Variana magnos uouisse ludos Ioui Opt. Max. legimus, si Remp. in meliorem statum uertisset. quod etiam Cimbrico, & Marsico bello fuisse factum Suetonius tradit. De ludis præcipue scenicis hæc lex intelligi debet. hi enim tollendæ pestis gratia qua urbs laborabat, T. Sulpitio Potito, & C. Licinio Stollone C O S S. instituti fuerunt: et sine ullo certamine ac curriculo, uerum carminibus & tibijs fiebant, magnamq; uim apud audientes uarij horum ludorum soni Cice. testimonio, habebant. nam languentes, ut assolet, incitabant, & excitatione languere faciebant. item animos tum remittebant tum contrahebant. Hac ratione non ante ad dimicandum descendere Spartanæ ciuitatis exercitus solebat, quam tibiæ cœcentu, et anapesti pedis modulo cohortationis calorẽ animo traxisset, ac uegeto et crebro ictus sono strenue hostẽ inuadere admonitus esset. Plura de scenicis ludis quæ ad huius legis faciunt

faciunt intellectum apud Liuium lib.7. & Vale. de institutis antiquis inuenies. hos sicut alios ludos festis diebus fieri Leo contra morem antiquum prohibuit. Referamus quasdam alias leges, & bene explicata erit Quiritum religio.

Ex patrijs ritibus colunto optima, præter Idææ matris famulos, eosq; iustis diebus, ne quis stipem cogito. Sacrū sacro'ue cōmendatum qui clepserit, rapseritq;, parricida esto. Periurij pœna diuina exitiū, humana dedecus. Incestū pontifices supremo supplicio fanciunto. Impius ne audeto placare donis iram deorum. Sancte uota reddunto, pœna uiolati iuris esto. Quocirca ne quis agrum consecrato. Auri, argenti, eboris sacrandi modus esto. sacra priuata perpetua manento, Deorum manium iura sancta sunt. Hos leto dato diuos habento, sumptum in illos lutumq; minuunto.

Romani in hac lege sententiam Apollinis Pythij secuti uidentur, qui ut testis est Cicero, ab Atheniensibus consultus quas potissimum religiones tenerent, eas quas in more maiorum essent, seruandas respōdit. Et quum Athenienses rursus eum consulentes maiorū morem sæpius fuisse mutatum dicerent, è uarijs optimū morem esse tenendum respondit. Stipem lex sustulit, quia ut Tull. ait, animos superstitione implebat, & domos exhauriebat, quod luculenter in sexta satyra Iuuenalis explicat, dum Bellonæ, Cybeles & Isis sacerdotēs ac Iudæos, astrologosq;, & id genus homines damnat, qui æris aut alterius rei habēdæ gratia superstitionem inducebāt prædicabantq;, & ære minuto qualiacunq; somnia

Somnia uendebant, famuli duntaxat Ideæ matris stipem certis diebus cogere poterant. Hodie quædam huius legis reliquæ extant. nam cum æs & pecuniam, tum fructus & alia pro alimentis diuorum Antonij & Francisci sacerdotes, alijq; id genus homines cogunt, & domos exhauriunt. Sed Christi ratione his omnibus libenter Christiani bona largiuntur. At ne alij horum prætextu ab imperita plebe pecunias extorqueant, uel hi falsa prædicando, & promittendo, diuinaq; confingendo, diſſimulando, aſſerendo, & faciando ſuperſtitionē inducant, & aurum ſubtili fallaciq; ingenio extorqueant, pontificio iure, & maxime Clementis tertij, & Clementis quinti conſtitutionibus cautum eſt, ne eleemoſynarum quæſtores nomine ſuorum cœnobiorū petentes admittantur, niſi ueras epiſcopi, aut magni antiſtitis literas pro ea re exhibeant, quarum uerba tantum & non aliud ipſi populo exponere poſſint. Deinde ſacrū rapiens & furans, punitur, & præter legem ſacrilegus dei nutu dat criminis poenas. Rex enim Dionyſius (ut cæteros omnium) cum ſanum Proſerpinæ ſpoliaſſet, Ioui Olympio magni ponderis aureum amiculum detraxiſſet, Aeſculapio barbam auream demi iuſſiſſet, menſas quoq; argenteas, atq; aureas è ſanis ſuſtuliffet, & uictorias aureas, paterasq; & coronas à ſimulacrorum manibus accepiffet, dedecore filij poenas rependit, quas uiuus effugerat. nam filius regno pulſus ludimagiſter factus eſt. Sacro quoq; commendatum ferens, ſacrilegij poenas luebat, ut ſi forte quis Alexandri pecuniã apud delubrum Solis in Cilicia deſiſtam ſuratus fuiſſet, aut dotem filiarum Clyſthenis Iunoni Samiæ creditam rapiuiſſet, in hoc lex illa Seueri & Antonini reſcripto poſtea mutata eſt. Quoniam ut Marcellus Iuriſconſ. refert, Caſſio Feſto reſcripſerunt, ut ſi res priuatæ in eadem ſacram deſiſtam

positæ surriperentur, furti actio, non sacrilegij esset, & sacrilegij poenam debere proconsulem pro qualitate personæ, & pro rei conditione, temporisq; ætatis, & sexus, uel seuerius uel clementius statuere Vlp. dicit, & admonet. Sacrilegi tamen Pauli responso capite puniuntur. Ast contempta iurisiurandi religio, etiam constitutione Alexandri satis deum ultorem habuit. Pontificis uerò incestum punire intererat, & ob id delictum grauiter olim Vestales puniebantur, sicut apud Plut. in uita Numæ legimus. Incestus enim damnata uiua ad portam Collinam in tumulto defodiabatur, ubi lectus stratus, & lucerna ardens erat, panisq; & aqua in uase, lac & oleum, pauca quedam earum rerum, quæ ad uictum sunt necessaria, ne fame Vestalis interiret. De adulteri, incestus, & stupri punitione complura Iureconsul. imperatores & pontifices sub titulo de adulterijs postea constituerunt, sed hodie multis in locis ista punitione carent, & impune fiunt. Quod donis placare deos impij non audeant, Plato facile credendum putat. qua enim mente ait deus dona accipiet, cum nemo uir bonus ab improbo se donari uelit? sed licet uota reddi, & sancte debeant, ut de Romulo, Posthumio, Marcello, Augusto, & alijs legimus, qui ædes uotas diligenter extruxerunt, & in Aenea comprobatum est, qui interfecto Mezentio uota deorum soluens, trophæum quercû scilicet armis, alijsq; exuijs Mezentij ducis ornatam Marti dedicauit: ueruntamen pontifices ea posse ex causa commutari, & redimi disposuerunt. Et pro uoto nuncupatiuo quis hac lege obligabatur, quod factò Marcelli ostenditur, qui templum nuncupatis uotis debitum Honori & Virtuti consecrasset dicitur. Sed uotum duntaxat mente conceptû secundum Alex. Ponti. aliorumq; constitutionem quis reddere non cogitur, iuris tamen pontificij

tificij interpretes in hac re more suo dissident. alia pontifices circa uotum non iniucunda constituerunt, quæ causa breuitatis omitto. Voto autem, si Vlpiano credideris, patres familias puberes colligantur. Sed filius familias, & seruus sine patris, domini'ue autoritate non obligantur. Voti quoq; obligatio si in dando consistat, ad hæredem transit. ut si forte inquit Vlp. qui decimam uouit, ante solutionem decesserit, hæres ipsius hæreditario nomine obstrictus est. sed an omnia hæc pontificio iure admittantur, ne sim prolixus omitto, cum & sciri facile possit. Votis, aut precibus numina placantur, ut Serui. ait, quod Verg. his uerbis indicat. Ce. idere animi, nec iam amplius armis, Sed uotis precibusq; iubent exposcere pacē, Siue deas seu sint diræ obscœneq; uolucres. Sed quia frustra tam præclaras leges de religione Romani dedissent, nisi seruarentur, ideo uoluerunt ut pœna uiolatæ religionis esset. Cæsaris tamen uerbū erat, ut si ius esset uiolandū, imperij gratia uiolaretur. Sed & tandem tribus & uiginti uulneribus cōfossus, pœnas iuris ab se uiolati dedit. Quod autē cuiuslibet religionis uiolutores, & contemptores afflicti fuerint, multis probatur exemplis. Tullus enim Hostilius cum Numæ commentarios uolueret, ibi quædam occulta solennia sacrificia Ioui Eliatio facta inuenit, nec rite ea iniit, aut curauit, & ideo ira Iouis praua religione sollicitati fulmine ictus cum domo flagrauit. Ob iram quoque Iouis Varronem C O S. apud Cannas cum Carthaginēsis dimicasse tam infelicitè creditum est. quia ædilis ludos Circenses in Iouis opt. max. templo faciens, eximia facie puerum Histrionē ad excubias tenendas posuerat. ob Herculis quoq; detractam religionem, & eius sacrorum à Potitijs ea obtinentibus ad humile seruorum ministerium translationem ipsi Potitij omnes in-

intra annum extincti sunt. Appius uerò qui autor translationis fuerat, luminibus captus est. Ab Licinio etiam Pontifice Max. uirgo Vestalis quæ negligenter æternum ignem custodiuerat, flagro admota fuisse dicitur. Et Minutia Vestalis ob incestus crimen C. Sulpitio Longo, & P. Aelio Pæto COSS. uiua sub terram ad portam Collinam defossa est. Corneliã quoq; uirginem maximã incestus causa Domitianus defodi iussit. Sed & P. Cælius, Cornelius Cethegus, & C. Claudius, quia exta parum curiose aris deorum immortalium bellis, temporibusq; diuersis admouerãt, Flaminiõ abire iussi, & coacti fuerunt. Insuper Carthagine à Romanis oppressa, Apollo ueste aurea nudatus id egisse traditur, ut sacrilegi manus inter fragmenta abscise inuenirentur. sed hæc omittamus cum passim apud historicos religionis spectatores punitos aut Deorum nutu, aut hominum manibus legamus. Qualiter autẽ modus argenti, eboris, uel auri sacrandi adhibeatur, Tull. per pulchre enodat. Sed de sacris perpetuis ita differit, ut morte patris familias sacrorum memoria non occideret, sed ijs adiuncta esset, ad quos eiusdẽ morte pecunia uenisset, unde sacris alligabantur. ordine tamen seruato hæredes, & qui tantundẽ acceperant, quantũ omnes hæredes, & qui plurimũ e defuncti bonis habuerant, creditorq; & debitor sacris alligabantur. Dijs quoq; infernalibus sed in effossa terra ueteres sacra faciebant. at dijs terrestribus terra. & dijs superis in ædificijs à terra exaltatis, ut Festus docet, antiqui sacra peregerunt. Manes certe ut superos deos Romani colebant, quapropter eorũ iura, ut in hac lege cõtinetur, sancta esse uoluerũt. Sanctũ autẽ Martiani responso est, quod ab iniuria hominum defensum atq; munitũ est, itaq; factõ & uerbis apud antiquos iura manium intacta seruabantur. unde sedes

& loca

& loca deorum infernalium Vergil. in v. 1. Aeneid. describere uolens huiusmodi uerbis ueniam precatur, Dij quibus imperium est animarū, umbræq; silentes, Et chaos & phlegethon, loca nocte silentia late. Sit mihi fas audita loqui, sit numine uestro Pandere res alta terra, & caligine mersas. Et stygiæ paludis Dij iurare, aut fallere numen timebunt, ut apud Verg. legitur. Hac ratione cū Phœbus per stygiam paludem dare iurasset, quodcunq; munus Phaëthon petisset, currus in perniciem petitos Phaëthonti denegare, aut iusiurandum reuocare non potuit, ut Ouid. testis est. Et cū iupiter Aeneæ naues seruare per hoc flumen Cybeli promississet, eas ab incendio quod Turnus inferebat seruans promissa postmodum liberauit. Quod autē factō manium iura uiolari nō debeant, Charon his uerbis apud Vergil. alloquens Aeneam ostendit. Quisquis es armatus, qui nostra ad flumina tēdis, Fare age, quid uenias, iamq; istinc comprime gressus, Vmbrarum hic locus est, somni noctisq; sopore, Corpora uiua nefas stygia uectare carina. deinde conqueritur sic eos enumerans quid Plutonis ædes inuasent, & uiolauerint. Nec uerò Alcidē me sum lætatus euntem Accepisse lacu, nec Thesea, Pirithoumq; , Dijs quamquam geniti, atq; inuicti uiribus essent, Tartareum ille manu custodem in uincla petiuit, ipsius à solio regis, traxitq; trementem. Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti. Quare Sibylla ostēdendo Aeneam non uiolandi, sed uidēdi patris gratia in herebū iuisse, monstratoq; aureo ramo Proserpine sacratio transitum obtinuit. Sed quoniam hæc poëtarum sunt, è iureconsultorum libris ostendam Deorum manū iura circa defunctos sancta esse debere, si prius antiquū funerandi ritum intellexerimus. Mos exequiarum teste Seruio apud maiores erat, ut ubicunq; quis extinctus

fuiſſet, domum ſuam referretur, ubi ſeptem reſeruabatur diebus, calidaq; aqua in hoc dierum ſpatio abluebatur, & ungebatur, & per interualla conclamabatur, fiebatq; gemitus, ut apud Verg. in exequijs Miſeni, fuiſſe obſeruatum legimus. Et Plin. in naturali hiſtoria hanc dicit eſſe cauſam ut mortui aqua calida abluerentur, & per interualla conclamarentur, quod uitalis ſpiritus plerunq; exclusus putaretur, & homines fallere ſoleret. Epulum etiam in funere præſertim clariſſimorum uirorum dabatur, cui ſimile eſt quod hoc tempore fit cum in obitu propinquorum pauperes, & neceſſarios, et ſacerdotes, qui exequijs interfuert, publice paſcimus. Octauo autẽ die cadauer incendebatur, & nono ſepeliebatur, ac reliquiæ in ſepulcro cõdebantur. Dijsq; manibus carmine, ſæpius tamen ſoluta oratione ueteres id monumentum ſacrabant, dedicabantq;. ſic Auguſto, Miſenoq; & alijs fuiſſe factum cõſtat, & id cuncta ſerme Romani ſepulcra oſtendunt. Ludi etiam in honorẽ mortuorum celebrabantur, hos Cæſari Auguſtus hæres edidit, eoq; tempore ſtella crinita circa undecimam horam exoriens per ſeptem dies continuos fulſit, creditumq; eſt, ut Tranquillus ſcribit, animam eſſe Cæſaris in cælum receptam, & hac de cauſa in ſimulacri eius uertice ſtella additur, ut aliquãdo in eiufdem nomismate uidi. Hos inſuper ludos Aeneas in quinto Vergilianæ Aenei. libro patri Anchife celebrauit. Chriſtiani paulo poſt obitum mortuos humant, & aliqui poſt inhumationem nouem diebus parentant. his relatis doceamus qualiter Deorum manium iura circa defunctos ſancta dicantur. Imprimis ſine prohibitione cuiuſquã corpus hominis extra edes proprias defuncti per uicos, & oppida quorumlibet, eorum tamen permiſſu domum tranſuehi, Seueri edicto, Marciq; reſcripto poteſt.

& qui

Et qui prætenu debiti morientem perturbat, aut exequias prohibet, Iustiniani sanctione actionem perdit, tantundem defuncti heredibus præstat, Et tertia bonorum parte publicata infamia notatur. Sed Et ante nouem dies post mortem alicuius parentes aut liberos, agnatos uel cognatos, alios uel defunctum aliquo sanguinis gradu attingentes, idem princeps conuenire prohibet. Eum autem qui sepulcra defunctorum domos uiolat, id est, qui de sepulcro saxa uel marmora, uel columnas, aliam uel quamcunque materiam aut uenditurus, aut fabricandi gratia aufert, Constantinus X. pondo auri fisco inferre iubet, Et iudicem id delictum punire negligentem uiginti libras auri præstare fisco compellit. Prætoris quoque edicto aduersus dolo malo sepulcra uiolantes actio in factum datur, ut ei ad quem negocium pertineat, quanti ob eam rem æquum esse uidebitur, condemnentur. Et ei ad quem non pertineat, centum aureorum actio detur. Ast si uiolatores sepulcrorum ipsa corpora extraxerint, uel ossa eruerint humiliores quidem Pauli sententia summo afficiuntur supplicio, honestiores autem in insulam deportantur, aut relegantur, aut in metallum damnantur. Et quod sepulcris extrahere ossa nefas sit, Dido apud Verg. hisce uerbis ostendit, Non ego cum Danais Troianam excidere gentem Aulide iuravi, classem uel ad Pergama nisi, Nec patris Anchise cineres manes uel reuelli, Cur mea dicta negat duras dimittere in aures? Sed Et ea quæ sepulcrorum sunt uendi non possunt, ut Iureconsul. tradit. per hæc quam sancta sint manuum iura satis ostendisse arbitror. qui plura intelligere uolet, legat cum alios tum titulum de sepulcro uiolato apud Iureconsul. Quod uero in hac lege sequitur, ut Dij manes in leto adhibeantur, Et quod diui sint poetarum opinione uerissimum est. nam he-

rebum Pluto pro parte sua obtinuit, ut aiunt, cum Iuppiter
 cælum, & Neptunus maria habuissent. quare Euro & Ze-
 phyro apud Vergil. iratus Neptunus dixit, nõ Aeolo regi-
 eorum imperium pelagi, sæuumq; tridentem, Sed sibi sorte
 datum. Apud inferos quoq; sunt tres furie Megea, Ti-
 siphone, & Alecto, ac Proserpina Plutonis uxor, & quod
 Acheron, Cocytus, Styx, Phlegethõ, Charon, & Cerberus
 Dij herebi sint putandi, Cotta apud Cic. de natura Deorũ
 probat. & cū in inferno plures sedes essent ut Verg. som-
 niavit, in nona, id est in cãpo Elysio, beati erãt. unde Anchi-
 ses Aeneæ in somnijs apparens dicebat, Non me impia
 nanq; Tartara habent, tristes ue umbræ, sed amœna piorũ
 Concilia, Elysiumq; colo. Quinimmo sicut Seruius super
 sexto Aeneidos ait, necesse erat etiam reatorũ inter deos,
 ut Hercules, Liberi patris, Castoris & Pollucis, apud infe-
 ros esse simulacra. Postremo lex sumptus, luctumq; funeris
 minuit. Luctus autẽ funeris in oratione qua defunctus lau-
 dabatur, concursu hominum, eiulatione, lamentationibusq;
 consistebat, quo circa partem horum Solon suis legibus su-
 stulit. & Pittacus hac ratione quenquam omnino accede-
 re ad funus aliorum uetabat. Apud Romanos uiri clarissi-
 mi ab Bruto primo consule laudari post mortem coeperũt.
 Bruti enim corpus in foro positum à collega in primis lau-
 datum traditur, inde ut uiri celebres post obitum lauda-
 rentur, in consuetudinem deductum est. Deinde cum Galli
 Brenno duce Romam occupassent, & hinc aliquot rece-
 ptis pecunijs abire permisissent, neq; aurum in publico es-
 set, ex quo pactæ mercedis summa Gallis confieret, ut sa-
 cro auro abstineretur, matrone aurum contulerunt, qua-
 re mulieribus natu grandioribus solennis post obitum lau-
 datio concessa est, ut apud Liuium & Plutarchum in uita

Camilli & Cæsaris legimus. & sæpius ab necessarijs, inter dum ab alijs laudatio referebatur. Auiam enim Iuliam defunctam Augustus x i i. annum agens pro concione laudauit. patrem uerò defunctum Tiberius nouem annos natus pro rostris collaudauit. Augustum autem in æde diui Iulij à Tiberio, & pro rostris ueteribus à Druso Tiberij filio laudatum accepimus. & cum ipse Cæsar Iuliam amitam, & primus uxorem Corneliam defunctas è more pro rostris laudasset, gratiam, popularemq; beneuolentiam cõtraxit, eo quod hoc facto se uirum humanitate & modestia refertum ostenderet. Istæ quidem laudationes in funere luctum habebant, sicut campanæ Christianorum, & nœnia quæ in morte Cæsaris, & Augusti, aliorum uel illustrium uirorum decantata fuerunt. quapropter hæc tristitiam & luctum inducentia hac lege sublata uidentur. In morte quoque Cæsaris nouus luctus fuit adhibitus. nam ueteranorum militum legionarij arma, & matronæ quædam ornamenta sua quæ gerebant, liberorumq; bullas & prætextas flamini corpus Cæsaris comburenti iniecerunt. Ast funeris sumptus secundum Marcell. & Vlpia. dicitur quicquid causa corporis erogatum est, & sine quo duci funus non possit, ut unguentum, lectus stratus, sepulcrum, cerei, rogi quo cremarētur corpora. nam postquam erui bellis longinquis obrutos cognitū est, apud Rom. fuisse institutū Pli. tradit, ut cadauera cremarentur. unde cum Marci cadauer Sylla eruisset, ueritus talionem, cremari uoluit, antequam in domo Cornelia nemo crematus fuit. Impesa quoq; peregre mortui, quæ ut corpus perferretur, facta est, sumptus funeris appellatione uenit. Præterea si quid ad corpus custodiendum, uel etiam cõmendandum, aut in marmoris, & sepulcri inscriptione quicquam expositum dicatur,

sumptus funeris erit. Romani enim monumenta carmine interdum, sed oratione soluta frequentius inscribebant. Ius tamen hæ monumentorum inscriptiones ex Alexandri constitutione & Vlpiani responso non dabant. Planè ex causa & tempore pro dignitate & modo facultatum eius qui mortuus est, decernente magistratu, fieri sumptus funeris debet, ut Marcellus, Vlpianus, & alij Iurisperiti sub titulo de religiosis, & sumptibus funerum explicant. nec uoluntatem testatoris seruandam putant, si res iustam sumptuum rationem egrediat. Itaque si amplum monumentum, & in circuitum porticationes edificari testator iusserit, ab eius uoluntate recedendum erit. De sepultura defunctorum prætor complura edicta composuit. Vt in sepulcrum, aut locum purum alterius nemo hominem mortuum inferret. Vt in loco proprio sepulcrum edificare, mortuumq; inferre quilibet posset. Vt funeris causa sumptum faciens, eius recuperandi nomine aduersus eum, ad quem ea res pertinet, actionem haberet. Ne insepulta corpora iacerent, ne uel quis alieno funeraretur. funus autem is, quem decedens elegerit, facere debet. Quod si neminem defunctus elegerit, primos scriptos hæredes, deinde nemine scripto hærede legitimos, & cognatos, bonorumq; possessores secundum ordinem succedendi ea res contingit, ut præclare Iureconsulti docent, qui etiam prædicta prætoris edicta diligenter interpretantur. sumptum funeris solum, ut diximus ante, Roma. minuit. De Salij qui unam sacrorum speciem habebant, hæc lex non meminit. eorum officium in sacris Dionysius, Lilius, Plutar. & alij plures explicant. E patricijs enim XII. Salios Numa Marti Gradiuo legit, & tunica picta eis insigne dedit, & super tunicam aheneum pectori tegmen, caelestiaq; arma, quæ ancylia appellabantur,

tur, in mense Martio ferre instituit, ac per urbem canentes carmina cum tripudijs, solenniꝫ saltatu ire in mense Martio iussit, & à saltu dicti fuerunt Salij, ut Plut. scribit, & hoc Ouidij carmine probatur. iam dederat Salij à saltu nomina dicta, Armaꝫ & ad certos uerba canenda modos. Tantæ autem reuerentiæ fuit Saliorum collegiũ, ut Furius Bibaculus prætor iussu patris sui collegij Saliorũ magistri præcedentibus sex lictoribus arma Ancylia tulerit, quamuis uacationem eius officij, ut Valerius scribit, honoris beneficio haberet. neꝫ Africanus hoc sacerdotiũ capere erubuerit. Plura igitur pro religione sacerdotia Romani constituerunt. at Galli quanquam religiosi Druides, qui sacra curarent, tantum habuerunt, et memoriter sacrorũ præcepta discabant, neꝫ ea literis mandare fas erat, ne in uulgus disciplina efferretur, et ut memoriæ studerent. nam quæ literis mandamus scire, ut Cæsar ait, memoriter negligimus, cum ea utpote scripta ubi opus fuerit, reperire confidamus. Alia de Gallorum religione Cæsar in Cõmentarijs scribit, quæ omitto, eo quod nõ Gallorum sed Romanorũ religionem inquirō. Retulimus de religione insigniora legũ capita, nunc de magistratibus Roma. leges subiungamus, cũ auctore Pomponio iura esse in ciuitate parum esset, nisi forent qui ea reddere possent. & secundum Ciceronem constituta religione magistratus Rempu. maxime continent, nec sine eorum prudentia diligentiaꝫ ciuitas esse posset.

Iusta imperia sunt, ijsquẽ ciues modeste, ac sine recusatione parento. Magistratus nec obedientem & nocuum ciuem multa, uinculis, uerberibusue coercento, ni par, maiõrue potestas, populusꝫ prohibesit, ad quos prouocatio esto

Cum magistratus iudicasset, interrogassetue, per populum multa poenae certatio esto.

Quod par maiorue potestas prohibens collegam, aut alium magistratum quenquam cocercentem vincat, paulopost & in plebiscitis ostendemus. Et ab iure civili & potestio alienum non est, quibus cauetur, ut duobus iudicibus diuersas sententias proferentibus illam sequi sententiam debeamus, quae reo fauet, aut in causam fauorabilem tendit. Hanc de prouocatione legem primo Valerius Publicola, deinde iuri decem à Solone habuerunt. Et cum Marcus Tull. Cice. L. Catilinae socios in consulatu necasset, à Clodio Ple. Tri. dies ipsi Ciceroni apud populum dicta est, quod ciues iniussu Po. Ro. contra leges interfecisset. hac quoque ratione per aliquod tempus exulauit. Et quod, ut haec lex continet, populi interfuerit de multa à magistratu imposta conquirente reo cognoscere, apud Liui. in. 5. secundi belli punici libro probatur, ubi Sp. & L. Caruilius Tri. Pl. ducentum milium aëris multam M. Posthumio dixissent, causa eius certandae per suffragium populus conuenit. praeterea Flacco Martiali flamini Po. Ro. multam remisit, quam Crassus consul pont. max. ci si à sacris discessisset dixerat, ut Cice. in Antoniana x i. refert. Alia lex uim magistratuum, militiam concernentium sic exprimebat.

Militiae ab eo qui imperabit prouocatio ne esto. Quodque is qui bellum gerat imperasset, ius raturumque esto. Minores magistratus periti iuris plures in praelia sunt. Militiae quibus iussi erunt imperanto, eorumque tribuni sunt, domi pecuniam publicam custodiunt. Vincula fontium ser-

uanto,

uanto capitalia uindicanto, æs, argentū aurum ūe publice signanto, lites contractas iudicanto, quodcunq; senatus decreuerit agunto.

Plures magistratus Romani in exercitu habebant. Primo enim imperatori, consulibus, uel dictatori cura totius exercitus mandabatur, sub quibus legati erant. Vnde cum in Iudæos Vespasianus proficisceretur, inter legatos Titū maiorem filium assumpsit. hi publice legebantur, eorumq; opera & consilio imperator, teste Varrone, utebatur. Cæsar bellum in Gallia gerens complures legatos habuit, e quibus cum per insidias duo in Germanorum finibus Titurius & Arunculeius occisi fuissent barbam capillumq; summisit, nec ante dempsit, quàm sociorum mortem uindicasset. Marius quoque Metelli aduersus Iugurtham facti consulis legatus fuit, deinde consul Syllam legatum habuit. Prætor etiam exercitui intererat, & secundum Varro, sententiam quod exercitui præiret, hoc nomine dictus est. Nam & bellum sæpe gerebat, ut de Marco Termo prætore legimus, cuius contubernio Cæsar prima stipendia fecit. & Aelius Pertinax Rhetias & Noricum prætor sub Marco principe ab hostibus uindicauit. Paulus quoque Aemilius in Hiberiam prætor belli gerendi gratia cum XII. libtoribus iuit. & Cn. Potitius prætor Allobroges, qui rebellauerant, ad Solonem domuit. M. etiam Acilio prætori decretus est triumphus, isq; de rege Antiocho, & Aetolis uictis triumphauit. Scipio quoque Africanus quarto & uigesimo ætatis anno prætor in Hispaniam missus, qua die uenit, Carthaginem cepit. & Sempronius Gracchus prætor Galliam domuit. Interdum non summam belli curam prætores in arbitrio habebant, sed consuli, aut alteri

maiolem magistratum habenti parebant. Sic Q. Valerius prætor cum Luctatio Catulo consule bellum in Pœnos aliquando gessit, sic alij complures sub maiori magistratu militarunt. Erant quoque in prælio Ducenarij, Centuriones, Primipilus, Signiferi, Tribuni, & alij plures magistratus minores à Vegetio diligenter enumerati. inter quos auctore Liiuo lib. 8. ab urbe condita hic ordo erat, ut miles centurionis, centurio tribuni, tribunus legati, legatus consulis, magister equitum dictatoris pareret imperio. Sed ex his omnibus hæc lex magis abunde officium tribunorum explicat quorum duo genera fuisse comperio. Quidam plebis tribuni dicti fuerunt, & eos plebs in monte sacro creare cœpit. hocq; nomine, ut Pomponius refert, dicti sunt, quod tunc in tres partes diuisus erat populus, & è singulis singuli creabatur. uel quia tribuum suffragio crearentur, de his statim aliquid differemus. Alij tribuni militum erant, quorum duo genera Asconius ponit. nam quidam à consule non à populo creari solebant, de quorum iure, quia Rutilius Rufus legem tulerat Rufuli, ac post Rutuli auctore Festo appellati sunt. Postea lege Attilia populus eos creare poterat, ut in plebiscitis dicemus. Imperator quoq; ut Vegetius tradit, eos per epistolam creabat, & tribuni secundum eundem ab iure militibus tribuendo dicti fuerunt. Horum officium erat, ut Vlpianus de re militari tradit, milites in castris continere, & ad exercitationem perducere, clauas portarum suscipere, uigilias interdum circuire, frumentationibus commilitonum interesse, frumentum probare, fraudem mensuræ coercere, delicta secundum suæ autoritatis modum castigare., principijs frequenter interesse, querelas commilitonum audire, ualetudinarios inspiciere. Aureliani quoq; epistolam apud Vopiscum inuenio,

uenio, qua tribunum militum admonet, ut si uult Tribunus esse, immo si uult uiuere, manus militum contineat. Vt nemo alicnum pullum rapiat. ouem nemo contingat. annona sua miles contentus sit. de præda hostis, non de lacrymis prouincialium habeat. arma sint tersa, ferramenta samiata, calciamenta fortia, uestis noua. Eadem adhuc epistola, Aurelianus tribunum militum dare operam hortatur, ut ueterem uestem miles excludat, stipendium in balteo, non in popina habeat, & torquem brachialem & annulum apponat, equum saginarium suum defricet. captum animal non uendat, mulum centuriatum comiter curct. Alter alteri quasi seruus obsequatur, à medicis gratis curetur. Aruspicius nihil det, in hospitij caste se agat, qui litem fecerit, uapulet. Hunc magistratum Catones ambo, Cæsar, Tiberius, Vespasianus, Titusq;, & complures alij illustres uiri gesserunt, ut historici docent, & è sepulcrorum ueterum inscriptione apparet, & horum tribunorum lex relata potestatem exprimit. Alij Tribuni militum consulari potestate comitijs creabatur, quorum origo paulo post. x i i. tab. fuit, & de his in plebiscitis dicemus. Fuerunt etiam apud Romanos quidam celerum Tribuni, necnon ærarij, ab ære militibus tribuendo appellati, de quibus Varro, Festus, Pompeius & Fenestella mentionem faciunt. Postremo quia hæc lex auri, & argenti signandi tribunis dat potestatem, probatur hoc argumento eam non esse legem x i i. tabularum, quarum tempore nondum signandi auri uel argenti usus in rempub. uenerat, ut ex his quæ in Seruio diximus, deprehēdi poterit. nisi dixeris aliud esse dare signandi potestatem, aliud nõdū signandi usum uenisse, cū pro tempore futuro signandi potestas dari possit. nã legis est futuris prouidere negotijs. Nūc leges alterius magistratus explicemus.

Suntoq;

Suntoq; ædiles curatores urbis,annonæ,ludorumq; solennium,ollisq; ad honoris amplioris gradum is primus ascensus esto.

Hac lege Aedilis curulis duntaxat officium explicatur, & tamen duo genera Aedilium secundum Plut.in uita Marij apud Roma.fuerunt. Quidam ædiles curules dicebantur, quorum erat officium ut ex Cice.lib.Verri.ult. colligitur, ludos maxima cum cerimonia Cereri,Libero, Liberæq; facere. Floram matrem populo plebiq; Roma.ludorum celebritate placare,ludos antiquissimos qui primi Romani fuerunt nominati,cũ maxima religione Ioui,Iunoni, et Mineruæ facere, secretarũ ædium procurationem, totius urbis curam habere, ut cloacæ, & aquæductus, & quæq; publica ædificia munda & integra essent. loca etiam in teatro hi ædiles assignabãt, ut de Serrano & Scribonio legitur. Dionysius etiam lib. antiqui. 7. pertinuisse ad officium ædilium scribit, ut curam annonæ forensis, copiæq; cibariorum ac mensurarũ haberet, unde Iuena.Satyra.10.ait.Et de mensura ius dicere,uasa minoræ,Frangere pãnosus uacuis ædilis Vlubris. quæ omnia hac lege paucis uerbis exprimuntur & comprehenduntur. Hi etiã ædiles curules edictum de quibusdam causis autore Iustiniano proponebant, unde apud Iureconf.nostros est titulus de Aedilitio edicto, et redhibitoria, & quanto minoris actione. ubi quoddam eorum edictum à iuris prudentibus primo refertur, deinde exponitur. Hinc est quod legimus M.Scaurum ædilem iuri reddendo magis quàm muneri edendo studuisse. Horum autem edictum iuris Honorarij est portio. & Aelius Sabinus iurisperitus librum de edicto ædilium curulium conscripsit. Papinianus quoque ædilium curulium potestatem singulari libro

libro complexus est, cuius aliquid in titulo de uia publica inuenimus. Ut pontem scilicet facerent, ubicunque oporteret, curarentq; ut nullus uias foderet, aut in eis construeret aliquid. neq; rixari in uijs, aut stercora proijcere, morticinaq; uel coria iacere permetterent. Quædam alia de potestate ædiliũ curulium non contemnenda ibidem leguntur. Ius quoq; dicendo sellis curuos pedes habentibus huiusmodi ædiles utebantur, à quibus hoc nomen curules habuerunt. Sed ne horum ædiliũ curulium omittamus originem, dicemus quod apud Liuium de eadem re comperimus. Inter plebem & patricios diu an lex Licinia admitteretur, disceptatũ est, tandem in concordiam hac conditione uentũ, ut Prætura daretur patribus, & lex Licinia admitteretur. unde eũ pro hac cõcordia Romani maxime senatus ludos honoris deorum immortalium caussa esse faciẽdos censuissent, recusantibus id munus ædilibus plebis, acclamatũ à patricijs est iuuenibus, se id honoris deorum immortalium caussa libenter acturos, modo ædiles fierent. quare factum est senatusconsultum, ut duos uiros ædiles è patribus Dictator populum rogaret, utq; patres autores omnibus eius anni comitijs fieret, quod factum est. Quintus Capitolinus, & P. Cornelius ædilitatem obtinuerunt, isq; magistratus deinceps in Repub. mansit, & honoris, ac potestatis incrementũ accepit, ut ostendimus. Sed cum indignum uideretur, ædiles curules semper è patribus creari, primo ut alternis annis è plebe fierent, conuentum est. postea creatio promiscua fuit, omnia tamẽ hæc origo scilicet ædiliũ curulium, & alia quæ diximus post XII. tabulas fuerunt, ut è Liuiõ apparet. Per hunc magistratum ad maiores, ut hac lege continetur, ascensus fiebat. In deferendis porrò magistratibus ordo quidem seruabatur. nam ut Plut. in Flaminiõ scribit

bit tribunatus, prætura, et aedilitas mediae dignitates erant, sicut quaestura, & aliae quaedam, & iunioribus tribuebantur. Deinde ad maiores dignitates perueniebatur, unde Marius primo tribunatum, post præturam, deinde consulatum obtinuit, in petitione enim utriusque aedilitatis repulsam passus est. Sic Caesari, Seuero, Tiberio, Marco Ciceroni, & alijs qui magistratus gesserunt, primo quaestura, aedilitas, & prætura, deinde consulatus euenit. Pompeius tamē quaestores ex his qui consules fuerant, creari lege postea constituit. Praedicta confirmat quod apud Modestinum & Callistratum de muneribus & honoribus legimus, ut gradatim honores deferrentur, edicto, & ut à minoribus ad maiores perueniretur, epistola Diui Pij ad Titianum fuisse expressum. Planè gerendorum honorum non promiscua facultas est, sed ordo certus huic rei adhibetur. nā neque maiorem magistratum quisquam nisi minorem susceperit, gerere potest, ut Callistratus auctor est. Alteri aediles plebei erant, qui à plebe constituti fuerunt, ut aedibus praessent, in quas, sicut Pomponius ait, omnia scita sua plebs deferebat. Erant & alij aediles ab Iulio Caesare ut frumento praessent, constituti, & à Cerere Cereales nominati fuerunt. Satis hanc legem explicuimus, aliam de Censoribus legem referamus.

Censores populi ciuitates, soboles familias, pecuniasque censent. urbis templa, uias, aquas, aerarium, uectigalia tuent, populi que partes in tribus distribuunt. Exinde pecunias per ciuitatis ordines partiunt. Equitum peditumque prolem describunt. Coelibes esse prohibent, mores populi regunt. Probrum in senatu ne relinquunt. Bini sunt, magistratum quinquennium

habent

habento. Reliqui magistratus annui sunt, eaq̄;
potestas semper esto.

Liuius clare initium post xii. tab. M. Geganio & Quin-
tio Capitolino COSS. fuisse refert, & multa ē prædictis
præterea & causam adinuentæ censuræ dicit. populo enim
per multos annos incenso differri ultra census non pote-
rat, neq̄; COSS. quia tot populorum bella imminabant, id
negocium agere licebat, quare is magistratus inuentus
est, cui scribarum ministerium, & custodia, tabularumq̄;
cura, atq̄; arbitrium formulæ censendi datum est. Censura
deinde tanto incremento aucta est, ut morum disciplinæq̄;
Ro. regimen penes eam esset, ut senatus, equitumq̄; centu-
riæ decoris, dedecorisq̄; discrimen sub ditione eius magi-
stratus poneretur, ut ius publicorum, priuatorumq̄; locorū
atq̄; uectigalia Pop. Ro. sub nutu atq̄; arbitrio Censuræ
essent. Et cum hūc honorem maiores ciuitatis in ipso prin-
cipio spreuissent, Papyriū & Sæpronium patritios cēsui agē-
do primos censores populus suffragijs præfecit. Censores
autem ab re appellati sunt. Cumq̄; in Caij Iulij Censoris
mortui locum M. Cornelius suffectus fuisset, & eo lustro
Galli Romam cepissent, id esse mali ominis creditum est,
& ideo deinceps pro lege obseruatum, ne unquam in de-
mortui locum Censor sufficeretur. Insuper censuram o-
mnium magistratuum fuisse principem, & uniuersæ reipu-
blicæ supremum & perfectissimum habuisse locum Plu-
tarchus in Catone seniore, & Aemilio scriptum reliquit.
nā senatu remouere immeritos poterat, & principē sena-
tus perscribere, equos auferre, infamia notare, censum ag-
re, Lustrū cōdere, utiq̄; de nuptijs, de liberorū procreatio-
ne, de uiuēdi ratione, & cōuiujs Censores diligēter inqui-
f rebant,

rebant, & in quolibet ordine Roma. Cives pro ipsis meritis condigna poena afficiebant, ut apud Asconium Pedianum reperimus. Nam senatores deliquentes, ut retuli, senatu movebant. Equitibus, si rei erant criminis, publicum equum adimebant, & plebeiorum nomen pro delicto in Ceritum tabulas referebant, ut ararij fierent, & tributum nomine tantum pro capite aes praebent. Alia quoque plura in Censorum arbitrio erant, quae hac lege non enumerantur. sed haec censes exercuisse multis comprobatur exemplis. Cornelium enim Rufinum Fabritius Censor senatu movit, quod x. pondo uasa argentea perinde ac malo, & luxurioso exemplo comparasset. L. etiam Antonium, M. Valerius & Iunius Brutus Censes senatu moverunt, quod quam uirginem in matrimonium duxerat, nullo amicorum in consilium adhibito repudiasset. Et quadringentos iuvenes equis publicis spoliatos, Valerius & Sempronius censes in numerum arariorum retulerunt, quia in Sicilia ad munitionum opus explicandum ire iussi, id facere neglexerant. Nimis etiam pingui homini & corpulento Censes equum adimere solebant, talem credentes cum tanti corporis pondere ad faciendum equitis munus non esse idoneum, siue quod culpa non careat, neque Gellij sententia omnino indefes uideatur, qui tantam corporis exuberantiam nactus est. Hos pingues homines & comatos, ut M. Antonium, & Dolabellam sicut Caesar non timuit, ita pallentes atque macilentos Brutum uidelicet & Cassium uerebatur, a quibus tandem occisus est. Sunt enim huiusmodi homines ad facinus aliquod propiores quam pingues. qui hilares sunt, neque ita frequenter mali aliquid, aut insidias excogitant. Camillus quoque & Posthumius censes aera poena nomine eos, qui ad senectutem coelibes peruenierant, in ararium deferre iusserunt. Cumque aliqui talem constitutionem

nem

nem incusarent, à Censoribus responsum est, naturam sicut nascendi, ita gignendi legem præscribere, & parentes nutriendorum nepotum debito alligasse. unde Plato uxorem à trigésimo anno usq; ad quintum & trigésimum esse ducendam statuit, quod si aliquis non faceret eum pecunia & probro mulctandum existimauit. similia Censorie potestatis exempla passim in historia leguntur. Censores primum quinto quòq; anno creari solebant, ut hac XII. tabu. lege continetur, deinde lege Aemilia annua ac semestris censura esse coepit. Et in initio patres duntaxat hunc magistratum gerere poterant, id tandem ut cætera immutatum est, atq; indifferenter fieri coeptum. C. que Martius Rutilius primus de plebe censor factus est. nunc de Prætoris officio per pauca uideamus.

Iuris dissipator, qui priuata iudicet iudicariuè iubeat prætor esto. Is iuris ciuilis custos esto, huic potestati parento. Quotcunq; senatus creuerit, populus uel iusserit, tot sunt.

Prætoris inuentio post XII. tab. fuit, ut è Liuiò & alijs dicimus. neq; semper est iuris ciuilis custos. Nam Papinianò autore suis edictis ius ciuile adiuuat, uel supplet, uel corrigit, & hæc prætorum edicta quartam iuris ciuilis speciem constituunt, de qua abunde lib. 3. dicemus, & ibi huius magistratus potestatem describemus. Honore in toto pro concione prætor maiores suos è more commemorabat, & ideo cum imperante Tiberio quidam prætor consuetudinem antiquam de maioribus suis pro concione memorandis retulisset, ab ipso Tiberio collaudatus est, sicut apud Tranquillum legimus. sed iam pergamus ad COSS. constitutiones.

Regio imperio duo funto, ijq; præeundo, iudicando, consulendo, prætores, iudices, consules appellantor. militiæ summum ius habento. nemini parento. salus populi suprema lex esto.

Exactis regibus Po. Ro. eorum loco duos quotannis creavit, qui iudices eo quod iudicarent, & secundum Varro-
nem COSS, ab eo quod senatū populūmq; consulerent, ut inde lex uel S. C. fieret, appellati sunt. Prætores quoq; à præeundo exercitui fuisse nominatos idem Varro credidit, nam summum militiæ ius habebant. unde quia hi duo bella administrabant, & prætores dicebantur. Porta in castris qua exercitus in prælium educebatur ab his prætoria appellabatur, ut apud Festum legimus. eorum quoq; tabernaculum prætorium dicebatur. Et prætoria cohors, quod à prætore, id est consule, non discederet, teste eodem Festo dicta est. Scipio enim Africanus fortissimum quenq; qui ab eo in bello non discederet, & alio militiæ munere uacaret, & sexquipler stipendium acciperet, primus delegit. quem alij Romanorum duces in hoc deinde secuti sunt. Nostra quoq; ætate quilibet dux militum Scipionis exemplo fortissimos quosq; in custodiã corporis eligit. Germanorum etiã cohortem olim Cæsares ad custodiam corporis instituerūt. Sed Galba eam dissoluit, & sine ullo commodo in patriam remisit, licet se fidelissimam multis experimentis ostendisset. Ast Cæsar cum longo tempore propter inimicos in tutelam corporis Hispanos aliquot habuisset, confusus tãdem satius esse semel insidias undiq; imminētes subire, quàm cauere semper prædictas Hispanorum custodias remouit. Quod deinde hic dicitur, salutem populi supremam esse COSS. legem, uerissimum est. nã ut Plutar. in uita Cice. ait, quando

quando consuli mandabatur ne quid detrimenti Respubli. pateretur, summam potestatem consul habebat, quã duntaxat urbe in extremo uersante periculo COSS. Romani S. C. concedebant, tũcq; sine iussu populi, & reiecta prouocatiõẽ quã ab eis fieri solebat ipsi COSS. in facinorosos homines animaduertebant. Itaq; cum e coniuuratione Catilinæ tota Resp. titubaret, nutaretq;, Tullio consuli hæc potestas data est, qui senatus decreto Lentulum, Cethegum & alios coniuurationis Catilinariæ participes per triumuiros interfecit. & propter Apuleij Satur. tri. ple. & Glaucie prætoris seditionem, ut darent operam COSS. ne quid Respub. detrimenti caperet, mandatum est. Quare Marius S. C. armatus hos seditiosos in Capitolium persecutus obsedit, & in deditiõem accepit, sed deditis non fuit seruata fides. nam Glaucie fracta est ceruix, & Apuleius cum in curiam fugisset lapidibus, & tegulis desuper interfectus est. Simili quoq; per S. C. data potestate consuli occisus est cum liberis M. Fuluius consularis. Et de prædicta consulum potestate, quã senatus consulto dabatur, complura Cicero pro Milo. in Catili. & V. Philipp. dicit. Hic magistratus nemini præsertim in bello parebat, sed eius mandata omnes seruabant, adeò quod Modestinus de re militari tradit, eos qui in bello rem à duce prohibitam fecerant, aut ducis madata non seruabant, etiam re bene gesta capite punitos fuisse. & irreuerens miles non tantum à tribuno uel centurione, sed etiam à principe Martiani resposso coercendus erat, & si quis officium ducis exercitus & potestatem in milites intelligere uelit, nostros adeat iure consultos, qui uno titulo hanc rem præclare explicant. Nolim tamen ignores seuerè Romanos duces siue COSS. siue alij fuerint, disciplinam militarem exercuisse, & ideo tot uictorijs claruisse. Cornelius enim

Scipio COS. Numantiam incendijs ruinisq; afflictam solo equasse dicitur, statimq; institores, lixas, duo scortorum milia, & alia uoluptatis caussa comparata edicto à castris eiecisse. Posthumius uerò dictator, Manliusq; Torquatus COSS. disciplinam militarem seuerè in filios exercuerunt. huius enim iussu M. Torquatus filius occisus traditur, quia se inscio à Metio Tusculanorum duce prouocatus ad dimicandum descendit. A Posthumio autem A. Posthumius filius occidi iussus est, eo quod sponte non suo iussu præsidio progressus hostes fuderat. Fuluium etiam fratrem, quia cohortem legionis in qua tribunus militum erat, iniussu consulis dimiserat, F. Flaccus censor senatu amouit. Et cum Titius equitum præfectus hostium multitudine circumuentus, his arma tradidisset, à L. Calphurnio consule hac ignominia affectus est, ut toga lacinijs abscisis amictus, discincta que tunica indutus nudis pedibus à mane in noctem usque ad principia per omne tempus militiæ adesset, ut conuictu hominum, usq; balnearum abstineret. Turmas quoq; equitum quibus hic præfuerat, equis adeptis, infunditorum alas idem transcripsit. Sed his omnis quæ passim in historia leguntur, aliam legem referamus.

Eundem magistratum ni interfuerint decem anni, ne quis capito. Ciuitatem annali lege seruant.

Diocletianus imperator post hanc legem magistratuum repetitionem etiam prohibuit, cum negotia publicæ disciplinæ semel gesta eius iudicio sufficere debeant. quod si quispiam denuo ad eundem honorem rediret, eum teneri lege iulia de ambitu uoluit. Sed an semper hæc lex XII. tabu. seruata fuerit, in plebiscitis dicemus. & cum annalis seu

seni Annaria lex teste Festo, annos magistratus capiendi finiret, eam habere senij considerationem hæc constitutio uoluit. Sed ut exitum huius rei habeamus, cum de honoribus siue muneribus gerendis quæritur, imprimis consideranda est persona eius, cui honor siue muneris administratio defertur, ut Callistratus de honoribus refert. nam rescripto Diui Marci ad munera, & honores idonei tantum admitti debent. Insuper origo natalium, facultates quoq; an sufficere iniuncto muneri possint, considerari debent. Præterea lex secundum quam muneribus quisq; fungi debeat, seruanda est. nam certus ordo in gerendis honoribus adhibitus est, ut scilicet gradatim secundum edictum honores deferantur, & ut ex epistola Diui Pij ad Titianum, à minoribus ad maiores perueniatur, & ut nemo continuare honores possit, sicut hac lege et alijs posterioribus exprimitur. Si tamen non sunt alij idonei, qui honores gerant, eosdem esse compellendos qui gesserunt, cum alijs constitutionibus, tum Adriani rescripto cautum est. Aliter honorem repetens è Diocletiani sanctione, ut relatum est, pœna legis Iulie de ambitu mulctatur. Huic tamen X I I tab. legi, quæ eundem magistratum capere ante decennium uetat, Gordianus derogasse uidetur, cum ab honoribus ad eosdem honores quinquennij, ad alios uerò triennij uacationem dedit, & cum legatione perfunctis biennij excusationem, & uacationem concessit. Et forte his legibus magistratuum continuatio prohibebatur, ne frequenti repetitione honorum occasio cuiquam Remp. occupandi, & perpetuo iniusteq; gubernandi, aut in eam machinandi daretur, quod sensisse Iustinianus in defensore ciuitatis uidetur. Et ideo Fabius Max. cum à se quinquies, & à patre auo, proauo, maioribus quæ suis sepe numero consulatum fuisse gestum

animaduverteret, summoq; omnium consensu filius eius consul crearetur, cum populo egit, ut aliquando uacationem huius honoris genti Fabiae daret, ne maximum imperium in una familia continuaretur. Quod quoq; Cincinatum propter has leges recusasse continuationem consulatus legimus. Sed & cum M. Rutilium populus Censorem iterum creasset, ab eodem grauissima oratione correctus fuit populus, quod eam potestatem, cuius utpote nimis magnæ maiores tempus coartandum iudicassent, his sibi detulisset. Laudandus est etiam superior Africanus, qui continuum consulatum, perpetuamq; dictaturam sibi plebiscito dari, aut S. C. decerni, ne hæc iura infringeret, passus non est. Ast Cæsar & Sylla perpetuos honores, quia non offerebantur, sua autoritate contra has leges arripuerunt. Postremo in omni ætate geri magistratus non possunt, ad Remp. enim administrandam, uel honores ante V. & XX. annum Vlpiani responso admitti quenquam non oportet, de quo paulò post in Annaria lege satis abunde dicemus. Neq; magna senectute affecto magistratus deferri debent. utcunque fuerit, agens septuagesimum annum, immo quinq; & septuaginta annos exccdens, & ab honoribus delatis secundum Papiniani, & Vlpiani responsa non excusatur, quod in Mario seruatum legitur, qui annos quasi septuaginta natus septimum consulatum gessit. his peractis alterius magistratus potestatem describamus.

Ast si quando duellum grauius, discordiæ ciuium, est, ut ne amplius sex menses si senatus creuerit. Idem iuris quod duo consules tenent. isq; aue sinistra dictus, populi magister esto. Aequitatem quicumque regat habeto pari iure cum

eo quicumq; erit iuris disceptator. Ast quando consulis est, magistratusue populi, nec reliqui magistratusue sunt.

Dictaturam Cicero hic describere uidetur, omnia enim paulò ante relata dictaturæ conueniunt: nam ut ait Pomponius, cum crebra orirentur bella, & quædam à finitimis acriora inferrentur, re exigente, Dictatores interdum creati sunt, à quibus nec ius prouocandi fuit, capitis quoq; animaduersio eis data est. Sed hunc magistratum quia summam potestatem habebat, ultra sextum mensem retinere fas non erat. licet Iulius & Sylla hoc non seruauerint. Dictatoribus magistri equitum, sicut regibus tribuni celearum, & principibus prætorio præfecti, iungebantur, & secundam post eos potestatem gerebant, ut Aurelius de officio præfecti prætorio scribit, quod Iuuenalis Satyra 8. etiam his uerbis ostēdit. Quis fructus generis tabula iactare capaci, Famosos equitū cū dictatore magistrōs. & quia summum ius, summamq; potestatem Dictator in populum habebat, magister populi autore Fenestella & Varrone cognominatus est, quod & hac lege probatur. Sic magister equitum, quod summa huius potestas in equites & accensos erat, appellatus est. Neq; à populo aut senatu dictator deligi poterat, sed à consule, sinistra, id est prospera aue dicebatur, unde hac ratione dictatorem sic appellatum Varro & Plutarc. in Marcello crediderunt. Eo tempore tamen quo Veientes Ro. clade & ignominia affecerunt, augures consulti eam religionē secundum Liuium exemere ut Tribunus militum, A. Cornelius dictatorem diceret, quod fecit. nam Mamercum Aemilium dictatorem dixit. & ipse Cornelius ab Aemilio magister equitum dictus est. Nec ab

re prospera aue dici solitum Dictatorem supra retuli. nam
 aruspiciam aduersum Dictaturam suscipere prohibebat,
 & dimittere susceptam cogebat. oecentus enim Soricis au-
 ditus F. Max. Dictaturam, et Flaminiio magisterium equi-
 tum deponendi causam præbuit. ut apud Valerium legi-
 mus. Lege insuper cautum fuisse Liuius dicit, ut ad dictatu-
 ram consulares duntaxat legerentur, quod & ante x i i.
 tabu. in creatione primi dictatoris seruatum est. T. enim
 Largius dictator primus longe ante x i i. tabu. delectus
 consularis erat. primus magister equitum S P. Cassius fuit,
 à T. Largio primo dictatore creatus. Designato quoq; di-
 ctatore omnes magistratus, excepto Tribunatu, suam auto-
 ritatem amittebant, ut apud Plutarchum in Fabio legitur.
 Mos etiam, si Liuius credimus, erat dictatorem noctu sub
 silentio dici. Sic de L. Papyrio & alijs dictatoribus factum
 inuenio. Sed alias leges prosequamur.

Reipublicæ auspicia patrum sunt, olliq; ex se
 prodūto, qui comitiis creare consules rite possint.
 Imperia, potestates, legationes cum senatus cre-
 uerit, populus ue iusserit, ex urbe exeunt. Du-
 ella iusta iuste gerunt, sociis parcunt, se & seruos
 continente, populi sui gloriam augent, domum
 cum laude redeunt. Rei suæ ergò ne quis lega-
 tus esto.

Quia auspicia patrum erant, & ea nemo plebeius habe-
 bat, ideo inter patres & plebeios x. uiri connubium dire-
 merunt, ne incerta prole auspicia turbarētur, ut infra post
 Titum Liuium satis abūde dicemus. Quod deinceps in hac
 lege dicitur, debere C O S S. è patribus in comitijs creari,
 Licinio plebiscito inmutatum est, quo plebs ad cōsulatum
 admis

admissa fertur. Nec etiam obseruatum est, ut iussu senatus & populi imperia, et potestates ex urbe exirent, quoniam frequenter sola populi autoritate, aut senatus imperio dabantur. lege enim Vatinia Galliam Cispalinā Illyrico adiecto Cæsar accepit, mox per senatum Comatam quoq; habuit. cum uererentur patres, ne eam ipsis negātibus etiam populus daret. Gabinia uerò lege cōtra piratas, & Manlia aduersus Mithridatē Pompeio magno inuitis patribus bellum gerere concessum est. Inuitis quoq; patribus præsertim Catone, C. Trebonius legem de prouincijs consularibus tulit, ut Hispaniam Africanq; Syriam & Aegyptum Crassus & Pompeius C O S S. haberent. Bella ita demum iuste apud Romanos gerebantur, si fœcialium autoritas, et alia quæ in religionis lege diximus, obseruabātur. Nullum porrò bellum ut Cicero in officijs ait, iustum erat, nisi quod aut repetitis rebus gerebatur, aut à fœciali denunciatum & indictum ante fuerat. Tanta insuper in bello apud Romanos erat obseruatio, ut sacramento aliquo solutis, aut his qui milites non essent, ius esse pugnandi cum hoste negauerint. Vnde cum Pompilius imperator, ut Tullius refert, unam legationē, & Catonis filium, qui in ea militabat, dimisisset, sed amore pugnandi Catonis filius in exercitu remāsisset, Cato pater ac Pompiliū scripsit, ut si filium remanere in exercitu pateretur, secundo militiæ sacramento eum obligaret, quia priore amisso iure cum hostibus pugnare non poterat. Marci quoq; Catonis senis ad Marcum filium extabat epistola, in qua eum utpote à consule bellum Persicum gerente dimissum monebat, ut præliū cum miles esse desisset, inire caueret. Cæsar in obeundis expeditionibus religionē, & ostenta deorū neglexit. Profecturus enim in Iubā, & Scipionē, hostiæ immolādæ fuga neq; absterri-

tus aut retardatus est. quinimmo negociū profecutus, cum nauim exeundo qua uectus erat postea lapsus esset, se bonum omen aruspibus contrarium sentientibus accepisse dixit. neq; etiam propter id omē ab incepto destitit, sed et hostes superauit. alioquin bella iusta utpote socios iuuando idem Cæsar gererat. Heduis enim socijs cum Heluetij in Galliam erumpentes eos præmerent, suppetias tulit. Aegyptum quoq; prouinciã plebiscito obtinere per partem tribunorum tentauit. hanc extraordinarij imperij occasionem nactus, ut Alexandrinum regem socium atq; amicum à senatu appellatum, quem ciues sui expulerant, iuuaret, & reduceret. Sed aduersante optimatiū factione, quod petebat non obtinuit. Et cum Saguntum Romanis foedere coniunctum Hannibal obsideret, Carthaginem Romani legatos miserunt, ne Saguntinis Romanorum socijs Hannibal iniuriam inferret, sed id non profuit, quoniam ipse Hannibal Saguntum euertit. Cæsar etiam iuxta huius legis autoritatē socijs desciscentibus, sæpe pepercit, ut de Heduis & alijs legimus. Bellum autem suscipiendum Augustus omnino negabat, nisi cum maior emolumentis spes, quàm damni metus ostenderetur. nam minima commoda non minimo sectantes discrimine, ut Tranquil. scribit, aureo homo piscantibus similes esse aiebat, cuius abrupti damnum nulla captura pensari posset. Insuper festinationē temeritatēq; non bene duci perfectō conuenire idem Augustus arbitrabatur. nam sat celeriter fieri credebat, quicquid satis bene fiebat. Cæsar tamen extremo duntaxat tempore quo sæpius uicisset, cunctatior ad dimicandum factus est, ne longo tempore parta breuis hora & calamitas auferret. Scipio quoque Africanus in re militari dicere, non putaram, turpe esse dicebat, quia explorato & excusso consilia agenda ferro ad-

ministr

ministrare eius sententia oportebat. cum emēdatione careat error, qui uolentiæ Martis committitur. Idem cum hoste confligere dissuadebat, nisi occasio obuēnisset, aut necessitas incidisset. nam prosperæ rei gerendæ facultatem omittere maxima est dementia, ut Valerius ait. & in angustias pugnandi compulsus & deductus se prælio abstinere, pestiferæ ignaviæ affert exitium. Ob eam cauissam tamē suscipienda esse bella Cic. credidit, ut sine iniuria in pace uiuatur. parta autem uictoria hos esse conseruandos dicit, qui nec crudeles, nec immanes in bello fuerunt, quod à Romanis factum est, qui Tusculanos, Equos, Volscos, Sabinos, Hernicos prælio uictos non solum conseruarunt, sed etiam in ciuitatem acceperunt. At Carthaginem & Numantiam perfidas ipsi Romani funditus sustulerunt. In alio quoque Romani duces iuste bella gesserunt, & iustitiam coluerūt. nam hi qui ciuitates aut nationes bello deuictas in fidem capiebant, earum patroni more maiorum erāt, ut à Cicero- ne & alijs memoriæ traditum est. Et ideo Paulus Aemilius non solum in uictoria mitem & humanum se erga Macedones, Hiberos, & Ligures præstitit, sed in omni etiam uita eos tutatus est, & ueluti pro domesticis ac necessarijs habuit, sicut apud Plutarchum legitur. Duces uerò exercitus post confectum bellum cum laude triumphātes domum redibant. Et sicut legatus in re propria quis esse non potest, sic iudex, arbiter, aut testis nullus ut Constantinus, Martianus & Pompon. scribunt, in re propria admittitur. immo antequam legationis officio functus sit, nihil in rem suam legatus Pauli responso agere potest, exceptis his, quæ ad eius iniuriam uel damnum peracta sunt. Complura alia legationum præcepta sequentes legumlatores, iureconsulti & imperatores uno titulo de legationibus explicuerunt,
inter

inter quæ illud est, quod huic legi accommodatur, & Honorius constituit, ut civium voluntate, & illius, qui urbi præest, autoritate legati proficiscantur, nunc placet vim tribunorum plebis referre.

Plebes quos pro se contra vim auxilii ergo x. creassit, tribuni eius sunt. Quodq; hi prohiberent, quodq; plebem rogassint, ratum esto, sanctique sunt, neve plebem orbam tribunis relinquunt.

Hac lege potestas tribunorum plebis aperte ostenditur, quæ proculdubio magna fuit. Ad eorum interrogationem plebs secundam iuris civilis speciem constituit, quod Plebiscitum appellatur: de quo, & tribunis paulò post abunde dicemus. nunc uolo hoc solum intelligas, quod Tribunatus hic dari plebeis tantum solebat, & ideo P. Clodius è nobilissima Claudiorum gente plebeio homini adoptandum se dedit, quo tribunatum plebis nactus in Ciceronem, qui adversus eum de pollutis sacris accusatum, testimonium dixerat, scire possit. nihilominus cum Tull. ab exilio reuersus tabulas à Clodio fixas, in quibus res gestæ in Tribunatu continebantur, vi perfregisset, & ideo in senatu accusaretur, quod tabulas tribunitias sustulisset, negavit ipse Clodium, utpote patricium, secundum leges fuisse tribunum. nam Pauli testimonio per adoptionem dignitas non minuitur, unde à plebeio ait, senator adoptatus, senator manet. Hunc magistratum tamen patricij, ut M. Antonius, Duronius, Cato, Tiberius, Marius, & complures alij gesserunt, quod Gellius Atinio plebiscito permissum fuisse lib. 14. scribit. Alia lex senatus potestatem sic explicabat.

Omnes

Omnes magistratus auspiciū, iudiciūq; habent. exq; iis senatus esto, eius decreta rata sunt. At si potestas par maior ue prohibet, S. C. præscripta seruant. Is ordo uitio uacato, cæteris specimen esto.

Per hanc legem omnibus magistratibus iudicia dantur, ut esset populi potestas, ad quam, ut ait Cicero, prouocaretur. Auspicia quoque omnibus magistratibus conceduntur, ut multos conuentus inutiles more probabiles impedirent. auspicijs enim iniustum populi impetum sæpe Dijs immortales represserunt. Et ut ex multis exemplis quædam referam, Vrbe à Gallis deleta, deliberantibus patribus utrum Veios migrarent, an sua moenia restituerent, forte tunc redeuntibus è præsidio cohortibus Centurio ut signifer signum statueret, & quod optime ibi manerent, in comitio exclamauit. hoc auspicio à Dijs accepto senatus euestigio transeūdi Veios consilium omisit, ut Valerius ait, Deiotarus quoq; rex omnia fere auspiciato gerens, ab quodam itinere proposito uolatu aquilæ monitus redijt, quare secum bene actum est. quoniam id tectum ubi, si ire perrexisset, mansurus erat, proxima nocte ruina solo æquatum est. sed sicuti auspicijs parētibus bene successit, ita cum ea negligentibus male actum est. Flaminius enim consul se & exercitum apud lacum Thrasimenū perdidit. & Crasso post magnam Romanorum stragem à Parthis uita erepta est, quia prodigijs pugnare prohibentibus non paruerrunt. Cæsar quoque si hostijs malum portendentibus, & ingredi senatum Idibus Martijs prohibentibus obtemperasset, occisus illa die non fuisset. Ordo Senatorius cuius hæc lex meminit, à Romulo institutus est. centum enim
 Senato

senatores quorum uteretur consilio, delegit. Tullus deinde Hostilius populo Albano Romam traducto, ex eius patricijs ordinem senatorium suppleuit. postea Tarquinius Priscus senatus maiestatem centum uiris ampliavit. Ast Tarquinius ille superbus clariorem partem senatus morte & exilio perdidit. mox exactis regibus senatus, cædibus regis diminutus, à Bruto primo consule restauratus est. Primoribus enim equestris gradus electis ad trecetorum summam patrum numerum expleuit. Hi autem à Bruto additi patres conscripti appellati sunt, unde in senatum uocabantur qui patres, quiq; conscripti erant, ut apud Liuium & alios legimus. Cæsar longe post senatum suppleuit, & multos tum ciues, tum externos præter electum, sed magis per gratiam senatoria dignitate donauit. unde peregrinis, & Gallis, & alijs in senatum allectis libellus propositus est, suadens ne quis senatori nouo curiam mōstrare uellet: post necem quoq; Cæsaris tot in senatum per gratiam & præmiū allecti sunt, ut super millæ senatores essent. Sed ad modum pristinum, & splendorem eos Augustus tandem redegit. & ut lecti probatiq; religiosius & minore molestia senatorio munere fungeretur, quæquã thure, et mero prius quam consideret, apud arã eius. Dei in cuius templo coi-retur, supplicare constituit. & ne plus quam bis in mense Calendis scilicet & Idibus legitimus senatus ageretur, sanxit. sibi tamen consilia sortiri semestria instituit, cum quibus de negotijs ad frequentem senatum referendis ante tractaret. Septembri Octobriq; mense tantum sorte ductos, per quorum numerum confici decreta possent, debere adesse decreuit. Is ordo iudicium, auspiciūq; sicut magistratus habebat. nam qui senatū habiturus erat, prius immolare hostiã, auspiciariq; secundū Gellium debebat, quod

à C. Cæsare fuisse obseruatum cõperimus, qui Idibus Martijs senatum habiturus plures hostias cæcidit. Sed cum litare non posset spreta religione curiam introijt, ubi statim occisus est. Senatus decreta usque adeo rata fuerunt, ut tertiã iuris ciuilibus partem constituerint. Porrò eius decreta ciues sine molestia seruabãt, ubi ipse senatorius ordo uicio carebat, & cæteris specimen erat. nã ut præclare Tull. ait, qualescunque summi ciuitatis uiri fuerint, talis ciuitas erit, & quæcunq; mutatio morũ in principibus extiterit, eadem in populo sequetur. Si enim principes bello, luxuriæ, conuiujs uenationi intendant, his populus uacabit. si uirtutem colant, hanc amplectentur omnes, nobilium enim mutato uictu, ciuitatum mores mutantur. unde perniciosius de Republica uitiosi principes merentur, quod non solum ipsi uitia concipiunt, sed etiam ea in ciuitatem infundunt, plusq; exemplo quàm peccato nocent. Eapropter Cicero L. Lucillum uirum magnum reprehensione dignum existimauit, cui cum magnificentia uillæ Tusculanæ obiecta esset, duos se habere uicinos superiorem equitem Romanum, inferiorem libertinum respondit, quorum cum uillæ magnificæ essent, concedi sibi oportere dixit, quod his qui inferioris ordinis essent, liceret. nam ait Cicero ab ipso Lucullo natum est, ut illi inciperent, quibus non licuisset, si Lucullus non fecisset, quilibet enim eorũ libidines fregisset, si illi qui eas frangere deberent, eisdem non tenerentur. Nostris itaq; senatoribus omnes morem geret, & parebunt, eorumq; decreta libenter, & sine molestia seruabunt, emendabuntur, & corrigentur, si uicijs quæ reprehendunt ipsi senatores careant, & uirtuti studeãt, sintq; cõtinentes. Præterea cum senatus habebatur, de rebus diuinis prius quàm humanis ad senatum, teste Gellio, referendũ erat. intercedendiq; ne

S.C. fieret, ius his solis fuisse idem Gel. tradit, qui eadē, maiori uē potestate essent, quā S.C. facere uolētes. Per quos autem senatus apud Rom. haberi soleret paulopost, & in Senatuscōsultis dicemus. Multa alia de senatoribus posteriores legumlatores praesertim Iurecōsulti dixerunt, quae referre superfluum esset, quare ad populi suffragia ueniamus.

Creatio magistratuum & iudicia, populi iussa, uetita, cum senatus suffragio quum sciscitentur, optimatibus nota, plebi libera sunt.

Lex relata de suffragijs scripta est, quam rem ut abunde enarremus, primordium attingere oportet. In primis uiritim suffragium eadem ui, eodemq; iure à Romulo promiscue omnibus tribubus datum est, quod non omnes ceteri reges seruarunt. Nam Seruius, autore L. Livio, classibus, centurijsq; constitutis, gradus fecit, ut neq; exclusus suffragio quisquam uideretur, & uis omnis penes primores ciuitatis esset. nam omnes centuriae ad ferēda suffragia in campum Martium ibant, & tamen penes primores ciuitatis uis suffragiorum erat, quoties non uariabāt, ut etiam ex Dionysio Halicarnaseo in lib. v. 11. colligitur. Primo enim ad suffragium secundum Seruij cōstitutionem equites, deinde octoginta primae classis centuriae peditum uocabantur, & si ibi uariatum esset, quod raro incidebat, secundae classis centuriae, & reliquae deinceps si opus erat, uocabantur. nec ferē unquam suffragia ita infra descendebant, ut ad infimam classē perueniretur. Obseruatum etiam in suffragijs cōperio, ut ubi primum ultra dimidiū uentum erat, statim negotio finis imponeretur, quam rem Tib. Gracchus ostendit. nam cum is legem Agrariam ferre uellet, Octauiusq; collega diu intercessisset, de eius abrogatione ad populum

pulum tulit, & tribus quinque & triginta quæ tot illo tempore erant, ire in suffragium iussit. Quarum cum decem & septem iam Octavius abrogassent, unaq; duntaxat ad rem perficiendam restaret, parumper sistere iubens collegam Octaviū, ut ab intercessione desistere uellet, ne ue sibi hanc notam inferri pateretur, iterum & obnixè rogauit. sed eo respondente, ut quod uellet, Gracchus exequeretur, suffragio procedente magistratu ipse Octavius summotus est. Iure tamen posteriori, quo nunc utimur, licet in omnibus regulariter quod maior pars efficit, pro eo habeatur, ac si omnes egerint, ut Scæuola, Vlpianus, Alexander, Innocentius & alij dicunt, tamen omnes ad quos negotium spectat audiri nec negligi debent, ut Paulus, Vlpianus, Celsus, Pomponius, Bonifacius, alijq; Pontifices & Iureconsulti de arbitris, & re iudicata, alijsq; locis cōstituerunt. Per hæc suffragia ædilitas, prætura, Tribunatus plebis, censura, consularatus, quæstura, Tribunatus militum pro consulari potestate, & alij plures magistratus mādabantur, ut in hac XII. tab. lege continetur. Militum tamen Tribuni qui in exercitu erant, & Dictatores magistrī ue equitum, & quidā alij magistratus suffragio populi non creabantur, ut suprā dictum est. Sacerdotia quoq; à collegijs non populo dabātur, sed postea ius sacerdotum subrogandorū Cn. Domitius in tribunatu à collegijs ad populum trāstulit, ut à Tranquillo in uita Neronis memoriæ traditū est. Quoddā tamen apud Rom. genus sacerdotij erat, quod neq; sacris locis addictum erat, neq; à Republica, aut à principe, aut à collegijs pōtificum, uel aliorum sacerdotū conferebatur, sed ædis aut sacelli iure à patrefamilias ea ratione erigebatur, dedicabaturq; & ut sacrorum cura, & fructuum ipsius sacerdotij perceptio ad solam gentem familiamq; suam perpetuo de-

uolueretur. Vnde Otho, ut Cornelius Tacitus refert, reuersos ab exilio adolentes auitis, & paternis sacerdotijs in solatium reposuit. Hæc sacerdotia appellabantur Gentilitia. in horum locum successerunt sacerdotia, in quibus ius patronatus habemus. nam p̄tificis assensu ædem cōstruēs, in ea sibi suisq; per Clementis & aliorum antistitum constitutionem ius patronatus acquirit. & cū pontificis auctoritate idem, atque posteri & successores cui uoluerint constructam ædem dare poterunt, ut nostro iure pontificio cauetur, ubi plura ad hanc rem pertinētia legūtur, quæ omitto, propterea quod indoctissimo cuiq; patent. De reo quoq; qui lege, aut rogatione damnandus erat, suffragia ferebantur, ut cum à magistratibus ad populum prouocabatur, aliter uel iudicium dandum erat. Vnde Clodius Tribunus plebis Ciceroni diem apud populum dixit, quod ciues sine iussu populi Romani contra leges necasset, deinde ob id factum Clodius de exilio Ciceronis rogationem ad populum tulit, ut infra quadraginta ab Italia miliaria ipsi Tullio aqua & igni interdictum esset: ut recipientis eum bona publicarentur, isq; exularret, & ne quis de Cicerone reducendo ad senatum referret, ne quis decerneret, ne quis disputaret aut loqueretur, aut pedibus iret, scribendo uel adesset. Sic relatum Octauij abrogationem, & alia populi iudicia fuisse per suffragium facta comperimus. Iussa insuper, leges scilicet & plebiscita cum suffragio populi conscribentur & decernebantur, ut in omnibus legibus quas infra referemus, apparebit. aut etiam eodem suffragio uetabantur, & reuocabantur, cum naturale sit eodem genere quodq; dissolui, quo colligatum est, ut iureconsulti Vlpia. & alij dicunt. Et pro legibus ferendis, & alijs legendis quæ diximus, curiæ frequenter in forū conueniebant, & e Ro-

muli instituto separatim, promiscue, & uiritim suffragia dabant, & ideo sæpe plebiscita, & leges curiatis comitijs, non autem centuriatis rogatione trinundino facta ferebantur. unde ipse Romulus diuiso in triginta curias populo quasdam leges curiatis ut Pompo. lib. digest. i. scribit, ad populum tulit. Et L. Papyrius dictator legem curiatam de imperio promulgauit. Tribuum quoque suffragio Cæsar pontificatum Max. & Marius consulatum obtinuerunt. & Octavius tribunatu summotus est. Non tamen inficias eo quin per centurias quoque, & comitijs centuriatis in cæpo Martio magistratus dati, iudicia prolata, & leges aliquot latæ fuerint. nam Publicolam centuriatis comitijs legem tulisse Valerius lib. III. refert, ne quis magistratus ciuem Romanum aduersus prouocationem uerberare, aut necare uellet. Et tempore promulgationis legum, non autem ubi latæ erant, intercedere licebat, ut è Cice. in prima Antonianarum colligitur. Suffragia hæc ab initio palam & uoce ferebantur, postea legibus latis per tabellam dari ceperunt, ut nimia suffragandi libido in non bonis causis eriperetur potentissimis. Primam enim Tabellariam legem Gabinius tulit, ut per suffragia in tabella descripta magistratus mandarentur. Biennio post lex Cassia tabellaria secuta est, quam L. Cassius nobilis homo tulit, ut per tabellam nisi in perduellionis crimine populus iudicaret. Tertia lex tabellaria Carbonis seditiosi atque improbi ciuis fuit, qua cautum est, ut per tabellam iuberentur, ferrenturq; leges, ac etiam uerarentur. Et cum in uno iudicij genere scilicet perduellionis crimine, Cassius uocis suffragium reliquisset, excepissetq; huic quoq; iudicio Cælius tabellam dedit. Marius etiam Gratidianus in hanc rem ferre legem tabellariã uoluit, & huic rei pötes angustos lege constituit. Hinc est,

quod legimus apud Cicer. ad Herennium quod cum L. Saturninus legem frumentariam de trientibus & semisibus ferre contra S. C. uellet. Q. Cæpio quæstor urbanus cum uiris bonis impetum fecit, pontes disturbauit, & cistas deiecit ut lex aliter ferretur. Et qui in Cæsarem conspirarunt, primum, teste Suetonio, cogitarunt, utrum ne illū in campo Martio per comitia tribus ad suffragia uocantē partibus diuisis e ponte deicerent, ac exceptū trucidarent. an in sacra uia, uel in aditu theatri adorirentur. Coniurati postea mutato proposito ipsum Cæsarem Idibus Martijs in Pompeij curia occiderunt. Nostra lex x i i. tab. suffragia iubet esse optimatibus nota, & populo libera concedit, ut quo uoluerint modo, suffragia ferrent. hanc enim sententiā, ut Cicerone interpretatur, ista lex cōtinet, ut omnes leges tollerent, quæ postea late omni ratione suffragium tegunt, ne quis tabellam inspiceret, ne rogaret, aut appellaret. nec reprehendendas esse tabellarias leges, & pontes angustos Tullius existimat, si ambitiosis hæc sint opposita, & ut ne sint ambitus inuenta fuerint. Populoq; tabellam quasi libertatis uindicem hæc lex concedit, dummodo optimo cuiq; & grauisimo ostendatur, ultroq; offeratur, ut sit ipsa libertas, in qua populo honeste bonis gratificādi detur potestas. Quapropter Iuuenalis eleganter ait, si libera darentur populo suffragia, tam perditum esse neminem, ut in suffragijs Senecam bonum præferre Neroni malo dubitaret. hac lege igitur libertatis species datur, bonorum autoritas retinetur, & contentionis causa tollitur. Cæsar postmodum libera populo suffragia abstulit. an comitia cum eo partitus est, ut exceptis cōsulatus competitoribus, pars media candidatorum populi suffragio magistratus gereret, pars altera sua uoluntate & collatione magistratus obtineret, &

per

per libellos cuiq; Tribui missos scriptura breui quos uolebat Cæsar commendabat, ut Tribus suffragio suam dignitatem tales commendati tenerent. Postea Augustus pristinum comitiorum ius reduxit, ac multiplici pœna damnato ambitu Fabianis & Scapensibus tribulibus suis, ne quid à quoquam candidato desiderarent, die comitiorum singula nummum millia à se diuidebat. Suffragijs tandem populus fuit priuatus, licet ea reuocato comitiorum more Caligula, populo reddere postea tentauerit. Vnde Modestinus legem Iuliam de ambitu in urbe suis cessasse temporibus dicit, quia tunc ad principis curam, non populi fauorem magistratuū creatio pertinebat, & ideo etiã Saty. x. Iuuenal. de populo ait, iam pridē ex quo suffragia nulli Vendimus, effugit curas, nam qui dabat olim Imperiū, fasces, legiones, omnia nunc se Cōtinet, atq; duas tantū res anxius optat Pa-na & Circenses. his legibus explicatis, alias referamus.

At si quid erit quod extra magistratus, cohæ-rario æfussit, qui cohæret populus creato, ei que ius cohærendi dato.

Hæc uerba quæstoribus accommodari uidentur, utcunque fuerit, quæstorum potestatem hic explicabimus. Publicola cum indignum pecunias publicas inferri in priuatas ædes existimaret, & quod ipse aut alius non publica autoritate constitutus, munus quærendæ pecuniæ daret, ærarium Saturni ædem constituit, populoq; ut duos quæstores creare posset, concessit, quod factū est. primi q; P. Veturius, & M. Minutius creati fuere quæstores. Aucto populi ærario, quæstores fuisse cōstitutos Pōponius tradit, ut pecuniæ & ærario præessent, & ab eo quod inquirendæ & cōseruandæ pecuniæ causa creati fuerant, Quæstores dicti sunt, & ho-

rum quaestorum origo xii. tab. praecessit. Sed cuius regis temporibus primi quaestores in Remp. uenerint, diuersas opiniones Vlpianus affert. Alij quaestores duo qui COSS. ad belli ministeria praesto essent, post xii. tab. L. Quintio, Sex. Furio, M. Manlio, & A. Sempronio consulari potestate tribunis militum creati suffragio populi fuerunt, ut Lilius tradit. Et hunc magistratum Gracchi ambo obtinuerunt. nam Tiberius quaestor cum Mancino consule in Numantinos profectus est. & Caius cum Horeste consule quaesturam gerens in Siciliam nauigauit. Pompeio etiam cui Gabinia lege mare piratis expurgare, & alia bello agere concedebatur, duo quaestores traditi sunt, & e senatu quatuor & uiginti praefecti, legatiq; suo delectu concessi. Sylla quoq; quaestor cum Mario consule ad bellum Iugurthinum in Africam iuit. alios complures hunc magistratum gessisse ex multis sepulcrorum inscriptionibus comperio. Caesar deinde quaestorum numerum ampliavit: & huiusmodi quaestores qui cum COSS. proficiscebantur, e prouincia ante consulem more maiorum redire non poterant, quod Caius Gracchus transgressus est. nam ante Horestem consulem e Sardinia Romam nauigauit. Sed cum de ea re apud Censores accusaretur, oratione habita sic omnium mentem commutauit, ut eum magis iniuriam passum, quam contra morem fecisse maiorum iudicarent. nam xii. se annos militasse ostendit, cum lex ceteris x. in necessitate diffiniret. se quoq; quaesturam per triennium gessisse ostendit, cum lex finito anno reditum quaestori permetteret. se unum insuper plenos loculos pecuniarum extulisse, & uacuos reportasse dixit, cum alij epoto quod extulerat uino plenas auro atq; argento amphoras reportassent. uerba autem totius orationis Gracchi lib. xv. Gell. refert. Hi quoq; quaestores

stores rationem administratorum confectis tabulis reddebant. quare Tiberius Gracchus quæstor cum tabulas rationes quæsturæ continentes in bello perdidisset, Numantinos hostes, uictores, & foedere facto domum reuersos. quos tabulas habere credebat, adiit, & iuxta eorum urbem consistens uocatos ad se Numantinorum principes, ut sibi tabulas redderent rogauit, ne calumnijs inimicorum fieret obnoxius, si reddere administratorum rationem nequiret. Numantini uerò Tiberium prius in urbem receperunt, & ei deinde tabulas restituerunt. E quæstoribus aliqui prouincias sortiri solebant ex Senatusconsulto, quod Decimo Druso & Porcina C O S S. factum est, ut scribit Vlp. unde Marcus Cice. quæstor Siciliam sortitus est, & cum integritate & diligentia magistratum gessit. Iulio etiam quæstori ulterior Hispania obuenerit. Vespasianus quoq; quæstor Cretam & Cyrenas prouinciam sorte cepit. & instante Marsico bello quæstorem Gallia quæ circa Padum est, Sertorium Romani designarunt. apud Gallos & alias nationes adhuc hæc quæstorum genera extant. Et licet patricij in initio quæstores essent, demum tamen ad quæsturã Cn. Cornelio & L. Furio Medullino C O S S. plebeij admissi sunt, ita ut unus patricius Clau. Fabius Ambustus, & tres plebeij Q. Silius, P. Aelius, & P. Papius tunc quæstores creati fuerint. Alij quæstores erant, qui capitalibus rebus præerant. nam quum de capite ciuis Romani iussu populi C O S S. ius dicere permissum non esset, propterea secundum Pompo. hi quæstores à populo constituti sunt, ut capitalibus rebus præessent, & parricidij quæstores appellabantur. quorum ut idem Pompo. ait, etiam lex x i i. tab. meminit. nunc referamus eos quibus ius sit cum populo, aut senatu agendi.

Cum populo patribusq; agendi ius esto. consuli prætori magistro populi equitumq; eiq; quæ produnt patres consulum rogandorum ergò, tribunisq; quos sibi populus rogasset ius esto cum patribus agendi. idem ad plebem quod censuerint ferunt.

Gell. lib. 14. scribit, per dictatorem consules, prætores, tribunos plebis, interregem, & urbis præfectum non per alios Senatum, more maiorum, haberi solitum. Et his duntaxat agendi cum patribus, ac faciendi senatus consulti ius fuisse. Quod si eodem tempore omnes hi magistratus Romæ fuissent, in ordine superscripto, primum ius consulendi Senatum habuisse dicit. extraordinario tamen iure, ut idem ait, tribuni militares, et x. uiri, necnon triuiri causa Reipub. constituendæ creati, ius consulendi senatum habuerunt. Sed quod primis magistratibus in hac lege relatis agere cum populo licuerit, testes sunt leges publicæ Cornelie, & Aurelie, quas à populo P. Philo dictator, Cornelius C O S S. & Aurelius Cotta prætor rogarunt. hoc probabunt et aliæ leges innumeræ, quas infra referemus. Plebis tribunū etiam potuisse cum populo agere nemo dubitat, quia id ipsius officium erat, & plebiscita demonstrant. Interregi quoq; ut hic dicitur nisi cum populo agendi potestas fuit. nam cum Reipub. causa abessent C O S S. neq; habendis comitijs interesse possent, aut cum seditioes in ciuitate forent, uel uitiō C O S S. creati essent, nec dictatorem comitorum causa dici placeret, res ad interregem teste Feneſtella deducebatur, ac per eum consularia comitia habebantur. Sed licet causa consulum à populo rogandorum patres interregem proderent, aliud tamen interdum ex causa peragebat,

bat, ut de L. Papyrio Mugillano legitur, qui interrex proditus, ut patrum & tribunorum plebis discordias sedaret, tribunitia comitia non consularia habuit, consulari q̄; potestate tribuni tunc L. Quintius Cicin. Sex. Furius Medullinus, M. Manlius, & A. Sempronius patricij omnes creati fuerunt, et Sempronio deinde quæstorum comitia habente, auctus est quæstorū numerus. Alia lex præclara sequitur.

Quæ cum populo, quæ cum patribus agentur, modica sunt. Senatori qui nec aderit, aut caussa, aut culpa esto. Loco senator, & modo orator causas populi tenento. uis in populo abesto, par maiorie potestas plus ualeto. Ast qui turbasit in agendo fraus autoris esto. intercessor rei malæ salutaris ciuis esto. Qui agent auspicia seruanto. Auguri publico parento.

Quæ cum patribus aguntur esse modesta, & ad sedata debent. & Senatori tria, ut præclare Cicero ait iussa sunt, ut Senatui adsit, nam grauitatem res habet, cum frequens ordo Senatorius est. immo Romani ueteres, ut Gell. lib. 14. refert, Senatori pignus capiebant, multamq̄; imponebāt, qui cum in senatum uenire deberet, non adesset. De senatoribus nostræ ætatis malo tacere, quàm ab eis libere loquendo puniri. Præterea senatori iussum est, ut loco dicat, id est rogatus, & modo ne sit infinitus, nam breuiter sententiam perstringere laus est, & hodie id omnibus placet & regulariter longa oratione utuntur cum uerbis proprijs & aptis, tum & dicendi ratione indigentes, qui inuolute, ac obscure loquentes, & ordine dicendi carentes, quod sentiunt paucis explicare nõ ualent, & diutius quàm satis sit in
ijsdem

iisdem locis tales commorantur, atque eodem identidem re-
 uoluuntur, præterea inchoata propositione relicta, fre-
 quenter ad aliam incommode transeunt. Hæc bonus orator
 diffugiet, si orandi disciplinam, & argumentationis partes
 quas in Rhetoricis Cicero & alij docent perfecte cogno-
 uerit. planè si tanta esset caussa, ut oratoris copia ad hor-
 tandum, uel docendum opus esset, longa uti oratione li-
 cet, in qua re Tullius & Cato magni fuerunt. Sed ut para-
 tus dicere senator esse possit, proximæ legi parere, id est
 caussas populi tenere, & inuentionem habere debet. ei enim
 nosse Rempublicam necessarium est, quid militum habeat,
 quid ærario ualeat, quos socios, quos amicos, quos sti-
 pendarios Respub. habeat. insuper qua quisque sit lege,
 conditione, foedere, intelligat necesse est. sed & decernen-
 di consuetudinem tenere, & exempla maiorum noscere de-
 bet. Lex deinde uim in actionibus populi uetat, cum nihil
 ciuitati sit exitiosius Ciceronis testimonio, nihil tam iuri
 & legibus contrarium, nihil tam inciuite & inhumanum,
 quàm per uim quicquam agere. Quod si rem malam quis
 facere uelit, ciuis intercedere debet. Et paris, maioris uel
 magistratus intercessio plus ualere debet. Huic loco con-
 gruit, quod apud Plutarchum sæpe legimus, Ius tribunitiæ
 potestatis fortius ad impediendum quam ad agendum fuisse.
 nam multis tribunis aliquid uolentibus, unus se opponens
 præferebatur. Non iure ergo Tiberius Gracchus defende-
 tur, qui collegam Octauium, ne lex Agraria ferretur, inter-
 cedentem, suffragio populi magistratu abrogauit. male etiã
 Cæsar consul se aduersus hanc legem tuebitur, qui pro-
 mulgata lege Agraria obnunciantem collegam Bibulum
 armis foro expulit, & eam inuito collegam tulit. Hanc le-
 gem Saturninus quoque trib. pl. non seruauit, qui cum cen-
 tena

tena agri iugera ueteranis in Africa lege diuidenda pronunciaret, facta per populum lapidatione intercedentem Bebium collegam submouit. Ast bonus Cato ille seuerus, ne Respub. quicquam mali pateretur semper intercessit, & operam dedit. unde cum Cæsari supra modum, & præter mensuram quæ Reip. erant largienti, & omnē ferme Campaniam lege egenis diuidenti resisteret, & aduersaretur, in carcerem curia extractus per lictorē iussu Cæsaris ductus est. Sed & alia pericula propter intercessionem, & benemerita in Rempub. collata subiit, usq; adeo quod mortem sibi consciuerit, ne in manus iulij hostis Rempub. occupantis deueniret. Pauci sunt nunc Catones, quin celeriter odio, pecunia aut timore, uel alio modo in Reipublicæ detrimentum uincantur & cedant. Et si aliqua seditio in populi actionibus oriatur, ex hac lege culpa actoris erit. nam Crassi sapiētissimi hominis sententia, & Senatus decreto C. Claudio consule Carbonis seditionem referente facto, eo inuito qui cum populo ageret, seditio fieri non potest, cum ei liceat consilium, simulatq; intercessum, turbariq; cœptum sit, dimittere. quod qui præmonet, cum agere nihil potest, uim querit. Romani etiam in publicis institutis & legibus habebant, ut qui cum populo uel patribus agerent, auspicia seruarent, & auguri parerent. nam bonus augur Reipub. præsto esse debebat, cum Ioui optimo Max. consiliarius & administer datus esset, celiq; partes eis diffinitæ traditæ essent. De hac re fuit etiam postea latum ab Aelio & Furio Tribunis unum Plebiscitum. & Romanorum fuisse morem Seruius dicit, ut in comitijs agendis, & bellis gerēdis pullaria captarentur auguria. Et Gellij testimonio auspiciari acturus cū patribus debebat, quod Cæsar ut pauloante diximus, Idibus Martijs senatum habiturus seruauit.

Augur

Auguribus magna fides & potestas è miraculo accessit, atque data est. nam quum Tarquinius Priscus centurias auget, earumq; nomina mutare uellet, id fieri posse, nisi aues addixissent, Actius Nauius inelytus ea tempestate augur negauit, propterea quod his centurijs in augurato Romulus nomina dederat. ex eo ira regi mota est, eludensq; artem, an quod mente cõceperat, auspiciato fieri posset, Augurem interrogauit, & cum re in augurio experta posse fieri augur affirmasset, Tarquinius augurem nouacula cotem discissurum se agitaſſe animo dixit, & ideo hæc capere, et quod aues auguris fieri posse portendebãt, ipsum augurem peragere iussit. quod Actius fecit, & nouacula haud cunctanter cotem discidit. unde statua Actij, eos quoq; ubi hæc acta fuerunt, posita sunt, & rex duplicatis centurijs nomina non mutauit, ex eoq; augurijs, sacerdotioq; augurum tantus accessit honos, sicut apud Liuium legimus, ut nihil belli, domiq; postea, nisi auspiciato gereretur, et ut cõcilia populi, exercitusq; uocati, & summa rerũ, ubi nõ admisissent aues, dirimerentur. Nihilominus hanc aruspicum, siue augurum disciplinam Phauorinus apud Gell. forti argumento reprobat. nam aut aduersa euentura dicunt, aut prospera. si prospera dicant, & fallant, miser frustra aliquis expectando fiet. si aduersa dicant, & mentiantur, miser homo frustra timẽdo fiet. Si autem uera respondeant, eaq; non sint prospera, iam inde aliquis miser ex animo crit, antequam è fato fiat. si felicia promittant, eaq; euẽtura sint, tum plane, ut Phauorinus ait, duo erũt incõmoda, nam & expectatio spei suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes iam deflorauerit. Et elegãter Actius poëta se nihil credere auguribus dicit, qui aures uerbis inquit, diuitant alienas, suas ut auro locupletet domos, nulloq; pacto huiusmodi
 homini

hominibus res futuras præſagientibus eſſe utendum Gellius dicebat. Quapropter non immerito huic legi posteriores legum latores ſuis cõſtitutionibus abrogauerũt. horum enim augurum & aruſpicũ diſciplinã, facta, uſum, & diuinationes Romani imperatores Antoninus, Diocletianus, Maximianus, Conſtantineus, Valens, Valentinianus, Arcadius, & Theodoſius improbarũt, & prohibuerũt. Sed & noſtro iure pontificio horũ diſciplina damnata eſt. Vnum tamẽ poſt Seruiũ dixero, quod licet multa ſacra Romani ſuſceperint, magica tamen ſemper damnarunt, quod Vergilius per Didonem teſtari uidetur, cũ eam ita loquentem inducit, Teſtor cara deos, & te germana tuumq; Dulce caput, magicas inuitã accingier artes. Sed & aduerſus magicas artes legem x i i. tab. fuiſſe conſcriptã, apud Auguſt. de ciuitate dei legimus. Magicos quoq; & Mathematicos Plinius et Cicero impugnat, et de his Vlpianus ſentire uiſus eſt, quũ incantationem, aut imprecationẽ, aut exorcizationẽ nõ eſſe medicinae genera de uarijs cognitionibus dicit, tametſi quidã reperiantur ait, qui hac arte utentes ſibi profuiſſe cum prædicatione affirmant. Nescio tamen qua arte id quod de Veſpaſiano legitur, actum fuerit, ut cuidam e plebe luminibus orbato, oculos inſpuendo pro concione palãm reſtituerit, & crus alterius debile calce contingendo confirmauerit, cum hæc à deo aut dei nomine duntaxat fieri poſſint, ut à quatuor historicis qui facta geſtaq; Chriſti ſcripſerunt, memoriae traditum eſt. his legibus diſcuſſis, ad reliquas ueniamus,

Promulgata propoſita in ærario cognita agũto. nec plusquam de ſingulis rebus ſemel conſultunt. rem populum docento, doceri à magiſtratribus

tibus priuatisq; patiuntor. Priuilegia ne irroganto. de capite ciuis nisi per maximum comitium, ollosq; quos censores in partibus populi locafint, ne ferunto.

Hæc lex de promulgatione, de singulis rebus agendis, de priuatis, magistratibus ue audiendis facta est. Lex certè promulgata in æs incisa, in ærarium condebatur, ut apud Tranquillum in uita Iulij legitur. Senatus quoq; consulta, ut in lege Horatia dicemus, ad ærarium deferbantur. Marcus Cicero scribit alias duas leges præclarissimas, quas retuli de x i i. tabulis fuisse translatas. Harum altera priuilegia tolli, altera populum de capite ciuis rogari, nisi maximo comitio uetat. Pro maximo autem comitio Marcus Cicero centuriata comitia accipit in oratione pro P. Sestio, ubi hanc legem x i i. tab. refert. Quod enim iudicia populicum suffragio consciscerentur, alia lege constitutum est, ut supra ostendimus. sed ut id maximo duntaxat fieret comitio, ista lex præcipit. Longe post Tiberius Cæsar instituit, ne aliter beneficia à superioribus concessa principibus rata essent, quàm si eadem habentibus etiam sequentes imperatores dedissent, quod institutum omnes principes à Tiberio usq; ad Titum seruauerunt. at Titus omnia præterita priuilegia uno primus confirmauit edicto, nec à se peti passus est. nunc de ambitu & de captis pecunijs leges sequuntur.

Donum ne capiunto, ne ue danto, ne ue petenda, ne ue gerenda, ne ue gesta potestate. quisquis earum rerum migrasit, noxiæ poena par esto. Plebiscito quodam etiam contineri. Modestinus de officio præsi

præsidis ait, ne quis præsidum munus donum'ue caperet nisi esculentum, poculentum'ue, quod intra dies proximos prodigatur. Mandatis quoq; Iustiniani & aliorum principum continebatur, ne donum uel munus ipse proconsul, uel qui in aliquo officio erat, administrationis tempore acciperet, uel quid, nisi uictus quotidiani causa, aut permittente principe emeret, domum'ue extrueret. Sed Vlpianus de officio proconsulis hæc debere intelligi dicit, ut modum gerens magistratum adiiciat, ita quod neq; se in totum xenijs abstineat, neque auare xeniorum modum excedat. Quam rem Diui Seuerus & Antoninus elegantissime epistola moderati sunt, ut iuxta uetus prouerbum, Neq; omnino, neque semper, neq; ab omnibus gerens magistratum acciperet, cum à nemine accipere ualde sit inhumanum, sed passim & per omnia accipere uilissimum, & auarissimum sit. non ergo ad xenia munerum qualitatem non habentia, sed ad ea quæ ad illum excedunt usum, prædictæ constitutiones pertinent. In hanc rem etiam pro eo quod quis in magistratu accepit, lex Iulia repetundarum postea lata est, cuius abunde iureconsulti meminerunt. Quinimmo noua Iustiniani constitutione, & pontificum maxime Innocentij sanctionibus, magistratus à fisco stipendia habens, nihil à quoquam accipere debet, licet interpretatione Iustiniani constitutio, & aliæ, ut assolet, uarie intelligantur. delegatis tamen iudicibus esculenta, & poculenta capere Bonifacius summus antistes sua constitutione permisit. Vtinam aliquot nostræ ætatis iudices has leges seruarent, qui omnia ab omnibus accipiunt, quod non fieret, si hoc crimen, ut hæc lex mandat, plecteretur, aut si illi qui in hos iudices animaduertere possunt, Cambysis exemplo, uni ex malis iudicibus pellem detraherent, & eam tribunali imponerent, quo cæteri ter-

rerentur. Quod si quis pecunia sententiam tulerit, utpote uenalis, Diocletiani sanctione nulla erit. Ipsi autem iudices dono, aut aliter perperam iudicantes certis pœnis ut infra dicam, ex constitutionibus Antonini, Constantini, & Iustini-
 niani puniuntur. hi enim pœnas determinant, quas hæc lex omisit, & iudicum arbitrio commisit. Hac lege insuper prohibetur, ne quicquam pro magistratu detur, de qua re fuerunt postea lex Calphurnia, Julia de ambitu latæ. Et præclare Theodosius & Iustinianus imperatores tandem dignitatum emptionem prohibuerunt, sanxeruntq; , ut capientes magistratus iureiurando affirmant, se pro administrationibus habendis neq; quippiam dedisse, neq; postmodum unquam daturus fore, siue per se, siue per interpositam personam in legis, sacramentiq; fraudem, donationis uel uenditionis titulo, alio uel cuiuscunq; contractus uelamento. Voluerunt etiam eos iurare quod in administratione, uel post depositum officium nihil pro aliquo beneficio tempore administrationis præstito, præter salarium acciperent, & huius iurisiurandi transgressorem pœna quadrupli mulctari præcipiunt. Et propterea antiquus Romanorum mos, quem Plutarchus in Coriolano refert, laudandus est. nam secundum hanc legem uirtute non pecunijs dignitates postulabant. Qui enim magistratus petebant, ciueis dextra prehensos benignis uerbis orabant, & absq; interiore tunica in forum operti ueste descendebant, siue ut eo habitu ad supplicandum humiliores accederent, siue ut pro Repu. cicatrices passi manifeste signa fortitudinis aperirent, ostenderentq;. Mar. tamen Coriolano plures ostendenti cicatrices, quas per tredecim annos egregie pro repub. bellando exceperat, consulatus denegatus est, ne patricos sequendo consul popularem tolleret libertatem. Argento deinde
 alioq;

alioq; corruptelarum genere impartitæ fuerunt dignitates, & inter concionis suffragia argentum, largitioq;, & epulum sese miscuerunt, complures enim Romani pecunijs dignitates & magistratus postea nacti sunt. Marius certe ut VII. consulatum sortiretur, suffragia emens Metellum à magistratu exclusit, & Valerium Flaccum collegam in consulatu suscepit. Cæsar quoq; in pontificatus maximi petitione ita profusissima largitione duos competitores potentissimos Q. Catulum, & Ser. Isauricum ætate & dignitate antecedentes superauit, ut ipse plura in eorum tribubus suffragia, quam uterq; in omnibus tulerit. E duobus uerò consulatus competitoribus L. Luceio & M. Bibulo hoc pacto Luceium sibi adiunxit, quo is utpote gratia inferior, pecuniâq; pollens, nummos de suo communi nomine per centurias pronunciaret. sed optimates eum in summo magistratu, & consentiente collega ausurum omnia suspicantes, Bibulo tantundem pollicendi autores fuerunt, ac pleriq; pecunias contulerunt, itaq; cum Bibulo consul fuit creatus. Ipse etiam Iulianus à militibus imperium emit. & Iustinus emptis caute suffragijs imperator electus est. Populi uerò præturam Sylla largitionibus adeptus est. unde cum erga Cæsarem male animatus esset, & sua potestate in eum se esse usurum dictitaret, ridens Cæsar lepide respondit, recte Syllam suum esse magistratum putare, quem suis pecunijs comparatum habebat. Quinimmo Cato ille alioquin seuerus, & magnus legum Ro. custos, ne cum Luceio sed cum Bibulo Cæsar consulatum obtineret, debere rempublicam largitionem facere non abnuuit. In petitione tamen tribunatus Cato legem, quæ candidato nomen dantes adesse uetabat, per seipsum appellans populum, atq; alloquens solus obseruauit. Ultimo loco constituitur, ut in suo uitio, &

prout deliquerit quisq; has leges negligens plectatur. & nulla pœna certa hic nominatur, sed postea magistratum precio consequenti pœna certa per legem Iuliam de ambitu, perq; constitutiones principum imposita est. Et huius criminis pœnam Marius sustinuit, nam cum in petitione præturæ ultimus esset qui per suffragia mitteretur, de ambitu quod suffragatores donis corruperat, damnatus est, cuius rei coniecturam suspicionemq; maximam præbuit Casius Sabaconus minister intra cancellos inter suffragia ferentes conspectus. At nactus dignitatem in ipso officio pecunias accipiens lege Iulia repetundarum, & constitutionibus principum hodie uaria pœna damnatur. Sic itaq; redeuntem e Cappadocia Syllam Censorinus repetundarum postulauit, quod ex amicorum sociorumq; regno magnam contra legem pecuniæ uim compilasset, sed quia Censorinus ab accusatione destitit, Sylla euasit. Scipionem quoque Petilij ac Næuius tribu. plebis repetundarum accusarunt, quod pecunias ab Antiocho rege accepisset, nec eas in publicum retulisset, sed ipse Scipio suæ probitatis conscius librum rationum in conspectu populi scidit, inde sponte exulauit, in exilioq; reliquam ætatem egit. Lilius etiam Salinator post actum ab se consule de Illyrijs triumphum, peculatus ab omnibus tribubus, excepta Metia, condemnatus est, sequentibus uerbis lex magistratus Romanorum explicans absoluta erit.

Censores fide legem custodiunt, priuati ad eos acta referunt, nec eo magis lege liberi sunt.

Quoniam semper in Repub. Censores erant, cura legis seruandæ eis data est, qui enim magistratu abierant, cedere & exponere quid in magistratu gesserant, apud Censores per
hanc

hanc legem cogebantur, rationesq; referre, & causam censoribus exponere debebant, de ijs postmodum censores præiudicabant. lex tamen integra accusatori, iudicioq; seruabatur. Mos etiam erat ut magistratu abeuntes concionem haberent, & apud populum de rebus suis loquerentur & iurarent. Sed Ciceroni consulatu abeunti, ne concionem haberet, & de rebus suis apud populum loqueretur, à Metello plebis tribuno prohibitum est, & tantum ut iuraret fuisse sibi permissum, inuenio. Hanc x i i. tabu. constitutionem Zeno & Iustinianus postea in parte renouarunt, quod nostris iurisperitis non est incognitū. uoluerunt enim ut omnes iudices post administrationem depositam, in provincijs uel ciuitatibus quas gubernauerint, per quinquaginta dies remaneant, ut sub aliquo iudice conquerentibus pro ratione legum respondcant. Et quoniam plura de his in manibus nostri iureconsulti habent, alia non dicam, nam si dubitatio aliqua occurrat, eos consulere poteris. Satis de religione & magistratibus Romanorum dixerimus, si hoc intellexeris, M. scilicet Cicero. sensisse, has omnis constitutiones relatas non fuisse in x i i. tab. leges, nam relatis religionis constitutionibus, postea de eadem re aliquot x i i. tabu. leges subiungit, præterea duas leges è x i i. tabu. ad magistratum sanctionem fuisse translatas scribit. Inuit ergo alias magistratum leges non fuisse in x i i. tabu. nihilominus boni autores has x i i. tabu. leges sepe numero appellant. Et forte his uerbis Cicero discrimen inter leges priuati iuris, & publici quod in sacris sacerdotibus, & magistratibus consistit, facere uoluit, licet iisdem tabulis descriptæ essent. Sed qualescunq; prædictæ leges fuerint, non paruam iuris & historiæ cognitionem afferunt. nam luculenter religionem & magistratus Romanorum & sic pu-

blicum ius explicant, & ideo non ab re huic loco leges eas accommodauimus. Nunc de iure priuato leges x i i. tabu. sequuntur.

Intestatorum hæreditates primo suorum hæredum uelint nolint ue sunt. his deficientibus agnatus proximus familiam habeto.

Iustinianus suos esse hæredes existimauit filium, filiam, nepotem, neptem ue ex filio, & deinceps cæteros liberos qui in potestate morientis fuerunt, & primum locum obtinent. Et quia hi uiuo patre quodammodo domini bonorum existimantur, & post mortem patris liberam bonorum administrationem consequuntur, sui hæredes appellantur. sed & necessarij ideo à iureconsultis dicuntur, quandoquidem ab intestato, & ex testamento inuiti ex lege x i i. tabu. hæredes fiunt. His tamen liberis puberibus siue impuberibus se ab hæreditate abstinendi prætor secundum Caium & alios legumlatores potestatem facit, ut quamuis iure ciuili creditoribus hæreditarijs teneantur, tamen in eos si uelint relinquere hæreditatem, actio non detur. Hæc lex ut Diocletianus & Maximianus scribunt, in posthumum suo obtinet, unde si quis posthumum & agnatum relinquat, posthumus ab intestato præfertur. quinimmo si filius, & ex altero filio qui mortuus sit, nepos existat, euidenter lege x i i. tabu. caueri prædicti imperatores Frontoni rescripserunt, ut pariter intestato defuncto succedant. Quod si suus hæres non existat, ex hac lege x i i. tabu. agnatus proximus hæreditatem capit, itaq; si sit defuncti frater, & alterius fratris filius, aut patruus, frater ex hac lege x i i. tabu. potior habetur, sed hoc postea correctum est. Et licet singulari numero utens lex x i i. tabu. agnatum proximum uocet, ta-

men

mensi plures sint in eodem gradu, omnes sine dubio admittuntur, ut præclare Iustinianus interpretatus est, siue alius agnatorum gradus existat, siue non existat. nam & proximus agnatus in hac lege x i i. tabu. etiam solus habetur, ut lib. Pandect. ult. Pompo. enarrat. Familiæ autem appellatio in hac lege secundum Paulum de uerborum significatione, in res deducitur, & pro rebus accipitur. ad personas etiam familiæ significatione interdum refertur, ut cum de patrono & liberto lex ista loquitur, ex ea familia in eam familiam alia quoq; appellatio familiæ comprehenditur, quæ Paulus eleganter de uerborum significatione enodat. Posteriori tamen iure ordo succedendi hac lege x i i. tabu. datus in aliquo immutatus est. nam liberi emancipati prætoris auctoritate, & constitutionibus principum, & e filia progeniti sicut sui succedunt, & agnatis præferuntur. licet x i i. tabu. lege excluderentur & incogniti essent, cum nec sui nec in potestate morientium forent. Mater quoq; per S. C. Tertullianum ad hereditatem filiorum sine testamento & liberis morientium peruenire cœpit, & e sanctionibus imperatorum admitti hodie cum agnatis filij sui fratribus & sororibus debet. quamuis x i i. tabu. lex matris non meminerit. Iam me huius legis satietas capit, ad reliquas igitur pergamus.

Tutores liberis in potestate testamento parentes danto. si non sint dati, agnati qui successiōnem sperant, tutores sunt. Prodigio bonorum suorum administratio interdicta esto. Prodigus & furiosus in curatione agnatorum sunt. Vel sic dicas, ut Cicero ad Herennium refert, Si furiosus existet, agnatorum gentiliumq; in eo pecuniaq;

eius potestas esto. suspecti tutores remouentor.

Tutela est, ut Seruius deffinit, uis atq; potestas in capite libero constituta ad tuendum cum, qui propter ætatem suam sponte se defendere nequit, iure civili data ac permissa. Tutores autem sunt, qui eam uim ac potestatem habent. ex quare, ut Paulus ait, ipsi nomen acceperunt, itaq; inquit, tutores quasi tutores atq; defensores appellantur, sicut æditui dicuntur qui ædes tuentur. De Duplici tutela testamentaria, & legitima hæc lex XII. tabu. meminit. primo enim lege XII. tabu. parentibus autore Caio iureconsulto permissum est, liberis suis impuberibus masculini & foeminini sexus, si modo in potestate sunt, tutores testamento dare. Liberos appellacione nepotes, & pronepotes, ceteriq; qui ex his descendunt, continentur. si tamen nepos post mortem aui tutorem dantis in patris sui potestatem recasurus non sit. hos enim omnes, ut apud Callistratum de uerborum significatione legimus, liberorum appellacione lex XII. tabu. comprehendit, plura de hac tutelæ specie iureconsulti & imperatores dixerunt. His autem quibus testamento tutor non est datus, ex lege XII. tabu. agnati sunt tutores, ut Iustinianus refert. Legitimæ enim tutelæ agnatis & consanguineis patronisq; id est his qui ad legitimam hereditatem admittuntur, lege XII. tabu. delatæ sunt & hæc Vlpiani iudicio summa prudentia introducta sunt, ut qui successionem sperarent, ne dilapidarentur bona tuerentur, & tutelæ onus susciperent, quod in agnata, uel patrona non obtinet, quæ succedunt, licet tutelam non suscipiant. Tutela autem legitima non quidem specialiter uel nominatim

natim, sed per interpretationem & cōsequētiās hēredita-
 tum patronis lege x i i. tab. delata est. ut elegāter Iustinia-
 nus & Vlp. ostendunt. nam eo quod lex x i i. tab. hēredi-
 tatem libertorum qui intestati decedunt, patronos habere
 uoluit, exemplo agnatorum ueteres crediderunt legem
 uoluisse etiam tutelās ad eos pertinere. Quia ut dictū est,
 ubi succēssionis est emolumentum, ibi plerunq; tutelae onus
 esse debet. quod posteriori iure etiam obtinet, quod hēre-
 ditas agnatione non inspecta proximis defertur. Sed si neq;
 in testamento datus sit tutor, neq; legitimus aliquis existat,
 aut si sit, sed etate uel facultatibus non suppetat, ex lege Iu-
 lia & Titia, constitutionibusq; principum Iustiniāni testi-
 monio, Valentiniani, Theodosij, et Arcadij à diuersis ma-
 gistratibus tutores dabuntur. Lege etiam x i i. tab. prodi-
 go fuisse interdictum bonorum administrationem Vlpia-
 nus de curatoribus furioso, et alij extra minores dādīs scri-
 ptum reliquit: unde eadem lege prodigus etiam excedens
 quintum et uigesimū annum, sicut furioso, in cura agnato-
 rum teste Iustiniāno esse debet, & id ratione morbi, aut
 uitij erit: nam si minor quinq; & uiginti annis furiosus sit,
 curator ei non ut furioso, sed ut adolescenti datur, sicut im-
 perator Antoninus August. rescripsit. Præterea si pupillus
 furore laboret, tutorem ut pupillus, non tanquam demens
 curatorem Mutij atq; Iuliani sententia accipiet, quia lex
 x i i. tabu. secundum Vlpiani interpretationem ita acce-
 pta est, ut ad pupillos uel pupillas non pertineat, cum sit ma-
 gis etati quā dementiæ consulendum. Sed solent hodie
 prætores uel præsides tali homini qui neq; tempus nec fi-
 nem expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissi-
 pandō profundit, sicut furioso curatorem dare, quod si
 furiosus sanitatem, uel prodigus sanos mores receperit,

h s ipso

ipso iure in potestate curatorum esse desinunt. Sed quia cuiuslibet generis tutores suspecti esse possunt, ideo de suspecti crimine sequitur, quod e lege xii. tab. descendit, & hæc lex frequens & perquam necessaria est. quotidie enim sicut Vlpianus dicit, suspecti tutores postulatur. Et circa hanc legem aliquot quæstiones oriuntur, quis, & à quo, & apud quos suspectus tutor postulari possit, ex quibus uel causis remoueatur, & qua poena suspectus tutor afficiatur quæ omnia satis abunde sacratissimi legumlatores nostri explicant. referamus igitur alias leges.

Cohæredes à communionem discedere uolentes agunt. Pro hæreditaria parte debitores hæredibus obligati sunt. Pro portionibus hæreditarijs hæredes tenentur.

Caio autore actio familiæ Ericiscundæ ex lege xii. tab. proficiscitur. nam cohæredibus à cõmunionem discedere uolentibus, necessarium aliquam constitui actionem uidebatur, qua inter eos res hæreditariæ distribuerentur. Ei quoque qui suam partem non possidet, si à possessore cohæres esse non denegetur, hæc actio ipso iure competit. per hanc familiæ Ericiscundæ actionem hæreditas delata ex testamento, uel ab intestato ex lege xii. tab. uel alia lege, aut ex senatusconsulto, uel constitutione secundum Vlpiani responsum diuiditur. Ea tamen quæ sunt in nominibus diuisionem non recipiunt, cum ipso iure, ut: Gordianus imperator Pomponio militi scribit, in portionem hæreditariam ex lege xii. tab. diuisa sunt: nam debitores hæreditarij unicuique hæredum pro hæreditaria portione antiqua xii. tab. lege obligati sunt. pignus tamen si quod intercesserit, unicuique hæredum ex constitutione Valentis, & Valenti-

niani, aliorumq; imperatorum tenetur in solidum. Si etiam res debita diuisione non recipiat, in iudicium familie Erciscundæ secundum Pauli sententiam non uenit, licet talis obligatio per legem x i i. tabu. non diuidatur, quia non potest, sed omnibus hæredibus actio in solidum competit. Sic ediuerso pro hæreditarijs partibus hæredes onera hæreditaria ex lege x i i. ta. usque adeo agnoscere debent, ut eorum pacto secundum Diocletiani & Maximiani sanctionem unius in solidum creditori obligari, aut aliter actio mutari non possit, nisi pignus uel hypotheca intercedat, tunc enim ut Decius & alij imperatores uolunt, possessor rei obligatæ cõueniendus est. In his rebus etiam quæ natura diuisionem non admittunt, & compluribus alijs casibus non ignotis ius ciuile callentibus, singuli debitoris hæredes in solidum tenentur. Sed quando unus ex hæredibus quid in solidum præstat à cohærede familie Erciscundæ iudicio petitione habet, ut è iuris ciuilis notitia clare intelligitur. Alia lex x i i. tab. talis erat.

In decimo mense legitimus infans nascitur. Afsiduo uindex afsiduus esto. Proletario ciui qui uis uolet uindex esto. Mulieres genas ne radunto, ne ue lessum funeris ergò habento.

Qui post x. uiros leges Romæ tulerunt, decimo, nono & propter doctiss. Hippocratis autoritatem, septimo mense perfectum partum nasci posse existimauerunt. & ideo utro ex his temporibus natos ad legitimam hæreditatē admiserunt, quod Plautus et Menander ueteres poëtæ etiam tradiderunt. Cæcilius autē, & post Aristotelem Marcus Varro, et Gellius refert, octauo etiam mense partum nunquam edi posse, scriptū reliquerunt. te Ge. ipse negotio
magnæ

magnæ rei postulante sua ætate diligenter Romæ quæsitum fuisse dicit, an octauo mense infans uiuus ex utero editus, & statim mortuus ius trium liberorum suppleuisset, quum abortio non partus mensis octauæ intempestiuitas quibusdam uideretur. Veruntamen huiusmodi quasi monstruosæ raritates à Romanis non fuerunt Varronis testimonio receptæ. Sed & cum fœmina honestis moribus, non ambigua pudicitia in undecimo mense post mariti mortem aliquando peperisset, quoniam in decimo mense, non undecimo genui hominem x. uiri scripsissent, Romæ an illa mulier post mariti obitum concepisset, authore Gellio disceptatum, & in controversia deductum est. Sed requisitis ueterum philosophorum & medicorum sententijs, in undecimo quoque mense partum edi posse Diuus Adrianus causa cognita decreuit, quod etiam Marcus Varro post Aristo. libr. 14. rerum diuinarum tradidit. & Plinius Vestiliam septimo mense Corbulonem, octauo Cæsoniam Caij principis coniugem, & undecimo Suillum Ruffum genuisse dicit. Sed hoc à sequentibus legumlatoribus non est receptum. nam Ulpianus de legitimis hæredibus post decem menses natum non debere ad legitimam hæreditatem admitti scribit, quod contrarium esset, si illo tempore regulariter nasci posset aliquis. Iustinianus quoque undecimo mense partum edi non posse constituit. Non præteribo tamen quod septimo libro naturalis historiæ de hac re Plinius à Massurij autoritate scribit, L. scilicet Papyrium prætorē quum mater se XIII. mensibus partum tulisse diceret, bonorum possessionem contra secundum hæredem lege agentem dedisse, quoniam ei nullum certum tempus pariendi statutum uideretur. Longe maiora nostræ ætatis fœminæ bonis maritis, partus intempestiuitatem, atque celeritatem admirantibus persuadet, ut

tertio

tertio mense, immo postera nuptiarum die partus nasci possit. Certe tales uiri multo uento ab interiore scæminarum tunica procedente impleti sunt, qui hæc incredibilia, & has mulierum fraudes admittunt: ualidis proculdubio argumentis opus esset, antequam similia euenire crederemus. Lege postea sequenti iubetur ut locupletis causam, & iniuriam locuples uindicandam suscipiat. pauperis uero quilibet ciuis procurator esse, & causam ipsius uindicandam suscipere possit. Assiduus enim in x i i. tab. pro locuplete, et facile munus faciente secundum Gell. opinionem accipitur, & ab assibus, id est credendo, cum id tempora Reipu. postularent, aut ab assiduitate muneris pro familiari copia faciendi assiduum appellatum idem Gell. lib. 16. credidit. Sed cum Gellius alijq; plures quid Proletarius in hac x i i. ta. lege, & quodam Ennij uersu significaret, Romæ in foro quodam feriarum die dubitarent, à Gellio quidam iurisperitus in eo loco existens, ut id uerbum enarrare, rogatus est, qui enodationis loco se hoc uerbum interpretari debuisse respondit, si ius Faunorum, & Aboriginum didicisset. Sed & cum proletarij, & assidui, & senates, & uades, & subuades, & uiginti quinque asses, & taliones, furtorumq; questiones cum lance & licio euauissent, omnisq; illa x i i. tabu. antiquitas secundum eum perijisset, nisi in actionibus legis centumuiralium causarum lege Aebutia lata consopita sit, se eas uoces exoletas non debere interpretari dixit, quia studium scientiamq; iuris & legum, earumq; uocum quæ tunc in usu erant se duntaxat præstare debere asseuerabat. Itaq; cum iste bonus iurisconsultus longo sermone imperitiam celare nisus fuisset, neque id uerbum proletarius in x i i. tabu. positum enerrare potuisset, Iulius Paulus poëta doctissimus forte præteriens de sententia

tentia & ratione huius uocabuli dicere rogatus est. Qui in plebe Romana tenuissimos pauperrimosq; non amplius quam mille quingentum æris in censum deferentes, proletarios fuisse appellatos respondit. eos uerò qui nullo aut perquam paruo ære censebantur, Capite censos à Romanis nominatos fuisse dixit. Extremus autem census Capite censorum 375. æris fuit. unde quia res pecuniaq; familiaris obsidis uice apud Rempub. esse uidebatur, & amoris in patriam fides quædam firmamentumq; in ea erat, neq; proletarios, neq; Capitecensos milites, utpote tenuem aut nullam familiam habentes, nisi in tumultu maximo fuisse scriptos referebat. Proletariorum tamen ordo re & nomine aliquanto honestior quam Capitecensorum fuit. nam cum iuuentutis inopia esset asperis Reipub. temporibus, in militiam tumultuariam legebantur, ijsq; arma sumptu publico præbebantur, & non capitis censione, sed prosperiore uocabulo à munere officioq; prolis edendæ Proletarij appellati fuerunt, ut cum re familiari exigua Rempu. iuuare non possent, saltem sobolis gignendæ copia ciuitatem replerent. Sed hanc diutina usurpatione firmatam consuetudinem C. Marius bello Iugurthino Capitecensum legendo militem abruptit. & alij inopia bonorum militum, alij consulis ambitione id factum esse commemorant, quod ab eo genere hominum celebratus, auctusq; esset, & homini potentiam querenti egentissimus quisq; opportunissimus esset, memorq; ut Valerius ait, Marius erat, si militaris ignauia humilitatem spernere perscueraret, quod nouitatis suæ caussa à maligno uirtutū interprete uelut Capitecensus imperator cōpellari posset. Hoc Roma. institutum Galli diligenter obseruant. nam equites & militia regulariter patritios habent, qui propter nobilitatē & diuitias nihil ignomi-

niam

niam & proditionem concernens agere uellent, ea propter equitatus Galliae apud omnes gentes & timori & uenerationi semper obstrenuitatem fuit. Peditatus quoque ductores Galli ut praecleari gerant aliquid, nobili genere natos in peditatum deducere conantur, hac ratione Molarthus, Malgiron et alij plures peditum ductores praecleara sub Ludouico XII. Gallorum rege in Italia gesserunt, quia multi nobilitate illustres eorum contubernio militabant, & stipendia faciebant. Sed ut id unde egressi sumus repetamus, haec fuit luculenta XII. interpretatio a poeta Iulio facta. doleo tamen quod poetis opus fuerit ut nostrae legis sensus haberi posset & multum, ni fallor, huius aetatis poetae iureconsultos quasi inscios & barbaros negligentes gauderet, si sua auxilio & doctrina enarratas fuisse leges nostras intelligerent, neque a iureconsulto sine eis potuisse intelligi. & proculdubio huic iureconsulto quem Gell. rogauit, ignorare ius in quo uersa batur, turpe fuit. Hoc tamen in compluribus nostrae aetatis iurisperitis euenire solet, qui multa legum uocabula ignorant, uimque legum & intelligentiam non habent, nec mirum est, quum inferiores disciplinas negligant, immo eas callentes irrideant & contemnant. Neque Labeonem Antistium imitari uolunt, qui grammatica, latinarumque uocum origine, & ratione, sicut, alijs disciplinis plerosque iuris laqueos enodabat, librosque Posteriorum reliquit, quorum tres continui trigessimus octauus, trigessimus nonus, & quadragesimus, id genus rerum ad enarrandam, & illustrandam linguam latinam conducentium, Gellio autore li. 13. pleni erant: praeter ea in libris quos ad edictum praetoris scripsit, multa lepide atque argute reperta posuit, quorum unum argumenti causa referam. In quarto enim ad edictum libro sororem appellatam dicit, quod quasi seorsum nascitur, ab eaque domo in qua nata

nata est separatur, & in aliam familiam transgreditur. Deinceps ne mulieres genas radant, lege x i i. tabu. cauetur. Si genas ut Ennius, Terentius, & aliquando Verg. utuntur pro palpebris acceperis, hæc lex apud ferè mulieres Italas esse desijt. nam cum palpebras tum supercilia radunt, immo pilos inde euellunt, ut ea deinde pingant, aut aliud loco pilorum supponant. Quod si pro ea parte, ubi barba nascitur, & quæ oculis subiecta est genas acceperis, hanc legem omnium regionum quas peragrauerim mulieres seruât. Sed quæ hoc casu huius legis ratio fuerit, satis occultum est, cum mulieribus barba non oriatur, nisi quod aliqui excogitarunt dixeris, mulieribus genas radere ideo fuisse prohibitum, ne frequenter radendo pili nascantur, & pudor qui mulieribus congruit, & rubore in genis maxime ostenditur, pilis occultetur. Vltima pars huius legis à Solonis constitutione de lamentationibus translata est, sicut è Cicerone de legibus colligitur: & ergò in hac lege positum pro caussa, sicut in relata quadam plebis Tribunorum lege accipitur, aliud quoque significat, ut Festus & alij grammatici docent. Neque lessus uestimenti funebris genus, ut Sex. Aelius, et L. Attilius suspicati sunt, in hac x i i. tabu. lege significat, sed Lælio & Cicerone autoribus pro lugubri eiulatione accipitur. Solebant enim illis temporibus foeminae magnos gemitus in funeribus emittere, & eiulare, quod hac lege prohibetur. Vtinam nostræ mulieres quæ in funeribus magnos gemitus simulant, hac x i i. tab. lege tenerentur, non enim ædes sacras in quas necessariorum aut maritorum corpora delata sunt, tantis clamoribus implerent. sed tamè statim depositio luctu post triduum quam mariti sunt mortui nubunt, unde corona pudicitiae carere debent. Quæ enim uno contentæ matrimonio apud Romanos erant, corona pudicitiae ut autor

est

est Valerius, honorabantur. eas certe matronas incorrupto animo existimabant, quæ multa non experiebantur matrimonia. his explicatis legibus, alias referamus.

Tignum alienum furtiuum ædibus uel uineis suis iniunctum ne quis eximere cogitor, sed duplum pro eo per actionē de tigno iniuncto præstare compellitor. Iudicem arbitrum uel iure datum qui ob rem dicendam accepisse pecuniā conuictus est, capite punito. Qui hostis concitauerit, qui uel opem hosti tradiderit, pœnā capitis dato.

Hæc lex XII. tabu. tignum furtiuum ædibus uel uineis iniunctum soluere, aut uendicare, ut Vlpianus & Iustinianus dicunt, bona ratione non permittit, ne ædificia sub hoc prætextu diruantur, uel uinearum culturæ turbentur. Et tigni appellatione in hac XII. tab. lege omne genus materiæ ex qua ædificia constant, secundum Caij, Vlpiani, & Iustiniani opinionē uenit. in uineis quoque tigni appellatione omnia uineis necessaria, ut perticæ, pedamenta, & alia continentur. Si tamen uxoris aliquid in ædificium uiri coniunctum sit, quod detractum alicuius usus esse possit, soluta re uendicatio mulieri, ut cui libet alteri cõpetit, nec in duplum ex hac lege XII. tab. agitur, ut apud Paulum de donationibus inter uirum & uxorem legimus, cum non sit credibile secundum eum decem uiros de his sensisse, quorum uoluntate res eorum in alienum ædificium cõiunctæ essent, neque enim furtiuum est, quod sciente domino inclusum est. Et licet iudex & arbiter qui ob sententiam dicendam pecuniā acceperant, sequenti XII. tab. lege capite punirentur, alias tamen pœnas posteri legumlatores iudicibus iniquis imposuerunt.

fuerunt. Nam iudex qui in causa pecuniaria nummos
 uel promissionem suscipit, ex Iustiniani constitutione dati
 triplo, & promissi simplo, amissa dignitate, mulctatur. in
 causa uero criminali perditis omnibus bonis in exiliū mit-
 titur. Ast iudex pretio, aut sorde aliqua perperam iudicās,
 Constantini sanctione ueram litis aestimationem præstat, &
 secundum Martianum, Marcellumq; & alios lege Iulia re-
 petundarum extra ordinem, & ex lege Cornelia de falsis
 deportatione, & omnium bonorum publicatione, alijsq;
 modis punitur. Quod si iudex per imprudentiam peccaret,
 in quantum de ea re æquam religioni iudicantis uisum fue-
 rit, Caij responso, & autoritate Iustiniani poenā per actio-
 nem in factum sustinet. Sequentem uero legem quæ hostes
 cōcitantem opem'ue hosti tradentem capite punit, Lex Iu-
 lia maiestatis deinde ampliavit. quandoquidem maiestatis
 crimen, ut Vlpianus eleganter diffinit, est illud quod aduer-
 sus populum Romanum, uel aduersus securitatem eius com-
 mittitur, quo per legē Iuliam maiestatis tenetur, qui in bel-
 lis cesserit, aut arcem tenuerit, aut ea castra concesserit, &
 qui iniussu principis bellum gesserit, delectum'ue habuerit,
 exercitumq; cōparauerit, qui'ue quum ei in prouincia suc-
 cessum esset, exercitum successori non tradiderit, aut alijs
 modis maiestatem publicam læserit. compluribus enim ali-
 quis modis lege Iulia maiestatis tenetur, ut apud Iurecon-
 sultos nostros sub titulo de lege Iulia maiestatis apparet,
 & reperitur. Et in quæstionibus læsæ maiestatis debere
 etiam mulieres audiri Papinianus dicit, nam & Lucij Ca-
 tilinæ coniurationem Iulia mulier, secundum eum, detexit,
 & Mar. Tull. C O S S. in iudicium eius instruxit. & eius
 criminis rei secundum Honorij & Arcadij constitutionem.
 bonis omnibus fisco additis gladio puniri solent. Et quo-
 niam

niam hæc clare Iureconsulti docent, alias leges x i i. tabul. referam.

Vendendi filium patri potestas esto. Si quis in ius uocatur, si morbus, æuitas uel uitium extitit, qui in ius uocabitur, iumentum dato. si nolet, arceram ne steraito.

Et cum Solon autore Laërtio sanxisset, ut qui unum oculum alteri eruiisset, utroque priuaretur, x. uiri ita disposuerunt.

Si membrum rupit meum, è pacto talio esto. propter os uerò fractum nummarie pœnæ constitutæ sunt.

Romulus filium à patre uendi posse primum lege constituit, deinde uiri decem post reges exactos eam legem, ut Dionysius Halicarn. lib. 11. scribit, in x. tabulis cum alijs legibus conscripserunt. Numa tamen hanc legem prius emendauerat, ne in filio qui patre approbante uxorem duxerat, locum haberet hæc lex: postmodum à Diocletiano & Maximiano imperatoribus sublata est, qui nullo contractus genere alienari filium posse disposuerunt, propter nimiam tamen paupertatem, uictusque egestatem postea Constantini lege rursum patri uendere filium permissum est. Legem autem quæ ægrotis in ius uocatis iumentum dari iubebat, Phauorinus defectu intelligentiæ esse inhumanam credebat, cum eius sententia iuberet, ut si homo in ius uocatus morbo, aut ætate æger ad gradicendum inualidus esset, non arceret, sed iumento impositus domo sua ad prætorē efferretur, quod ualde inhumanum esse dicebat, ut morbo affectus, & ad respondendum pro se non idoneus iumento adherens in ius aduersario deportaretur. Unde Sex. Cæcilius Iureconsultus aliter hanc legem interpretatus est, & enarrauit, ut morbus

hic grauem cum febrī rapida ægrotationem non significaret, neq; iumentum pro unico pecore tergo uehente acciperetur, quoniam tunc Phauorini philosophi opinio ratione non careret, sed morbum in lege ista uitium aliquod imbecillitatis atque inualentiæ sine periculo uitæ appellari dicit, cum morbum uehementiorem uim grauiter nocēdi habentem x. uiri harum legum scriptores non per se morbū, sed morbum fonticum alio in loco appellent, ut paulopost uidebimus. Iumentum quoq; non solum pecus unicum, sed uectabulum etiam quod à iunctis pecoribus trahebatur, & in lege nostra & alijs locis Cæcilius significasse dicebat. nam & ueteres iumentum à iungendo dicebant. Arcera autem secundum eundem Cæcilium plostrum undique tectum & munitum, quasi arca quædam magna uestimētis instrata uocabatur, qua nimis ægri, aut senes portari cubantes solebant. Enodata horum uocabulorum significatione, Phauorinus mutata sententia legum approbavit, cum nulla esse acerbitas uideretur, quod pauperrimo homini in ius uocato pedum ægritudine, aut alio casu gradi non ualenti, x. uiri plostrum esse dandum senserint, neque instrui tamen delicate arceram iusserint, cum inualido quodlibet uehiculum sufficeret. Et ita prædicti uiri iudicio Cæcilij constituerunt, ne accusatio ista ægri corporis fidem differentibus, iurisq; actiones declinantibus perpetuam uacationē daret. Aliam de Talione legem Iustinianus ob magnā ueterum paupertatem fuisse introductam dicit, & non erat necesse pati Talionem, nisi eam reus elegisset. hoc enim ordine ad Talionē deueniebatur, ut apud Gell. Cæcilius ostēdit, primo reus super iniuria paciscēdi facultatem habebat, deinde si non pacisceretur, iudex Talionem imperabat. Quod si reo & pactio grauis, & Talio acerba uidebatur,

Et ideo iudici non parebat, seueritas legis ad pecuniæ mul-
ctam redibat. nam æstimata lite iudex hominem pecuniæ
damnabat, postea iniuriam passis eam æstimare à præto-
ribus permissum est, ita tamen ut partis sequi æstimationē,
aut eam diminuere in iudicis arbitrio esset. Postmodum ini-
uriæ poena ab lege XII. tab. introducta secundum Iusti-
nianum in dissuetudinem abiit, & ea quam prætor adinue-
nit, in frequenti usu esse cœpit, & secundum dignitatis gra-
dum, ut æq; honestatem æstimatio iniuriæ crescit, aut mi-
nuitur. Lex etiam Cornelia iniuriarum actionem introdu-
xit, & è tribus causis actionem dedit, sicut ab Vlpiano di-
dici, uidelicet cum quis pulsatur, uerberatur, ue, aut domus
alicuius ui introita est. & ut non iudicent agentis gener, so-
cer, uiricus, priuignus, sobrinus, & complures alij eadem
lege cautum est. Reliqua quæ iniurias concernunt, referre
longum esset, & perfecte à iureconsultis nostris traduntur.
aliàs ergo XII. tab. leges ostendamus.

Qui falsum testimonium dixisse conuictus
erit, è saxo Tarpeio deijcitor. Si in agrū alterius
arbor impendat, usq; ad quindecim pedes à ter-
ra altius coërcito. & ne umbra arboris uicino præ-
dio noceat, quindecim pedes altius ramos arbo-
ris circuncidito.

Non potest quis sic hodie damnari secundum Modestinum
de poenis, ut de saxo præcipitetur, unde hæc XII. tab. lex
sublata est, quod si abolita non esset, non tam multi pro te-
stimonio mētirentur, ut Cæcilius Phauorino dicebat. Acer-
bitas enim puniendi maleficij plerunq; bene atq; caute ui-
uendi disciplina est. Sed licet poena huius legis aboleuerit,
alijs tamen legibus falsa testimonia serētes puniuntur. nam

qui ob testimonia falsa pecuniam acceperit, pactus uel fuerit, secundum Martiani sententiã ex Senatusconsulto coërcetur. & qui ob renunciandum, remittendum uel testimonium dicendum uel non dicendum pecuniam acceperit, poena legis Corneliæ de falsis afficitur. Præterea qui falsum testimonium, ut quis publico iudicio rei capitalis damnetur, dolo malo dixit, lege Cornelia de sicarijs tenetur, ut idem Martianus testis est. Et inter sua præcepta Christiani habent, ne quis falsus testis existat. Et quia de arboribus cædendis lex deinde sequitur, sciendum est arborem in alterius ædes, uel agrum impendere posse, & de primo prætor teste Vlpiano, cauit, ut si arbor quæ ab alicuius ædibus in alterius ædes impendeat, à domino non adimatur, ab eo cui nocet, adimi & retineri possit. Quod si arbor in alterius agrum impendeat, per prætorem & x i i. tab. legem cautum est, ut quindecim pedes altius rami à domino circuncidantur. & si per dominum stet quominus arbor usq; ad quindecim pedes altius à terra coërcetur, ei cui officit, arborem coërcere, & ligna habere licet, & hoc idcirco effectum est, ne umbra arboris uicino prædio noceret. Ex his differentiam esse patet, an arbor ædibus alienis uel agro impendeat, cum primo casu succidatur, & secundo usque ad quindecim pedes à terra coërcetur. Arboris appellatio etiam uites in hac lege continet. At si arbor in uicini fundum uento inclinata sit, ex lege etiã x i i. tabul. de ea adimenda recte cum domino agi poterit, ius ei non esse ita arborem habere, ut apud Pomponium legimus. Quod si quispiam plura de hac re intelligere uelit, adeat Iureconsultos nostros, qui hæc plene tradiderunt. Sequens quoque lex in x i i. tab. fuit.

Aeris confessi, rebusq; iure iudicatis, xxx. dies
iusti

iusti sunt. Post deinde manus iniectio esto. in ius ducito, ni iudicatum facit, aut qui pseudo eo in iure uim dicit, secum ducito, uincito, aut neruo, aut compedibus, xv. pondo, ne minore, aut si uolet, maiore uincito. Si uolet, suo uiuio. Ni suo uiuit, qui eum uinctū habebit, libras farris in dies dato. si uolet plus dato. in uinculis sexaginta dies habeto. Inter eos dies trinis nundinis continuis ad prætorem in comitium producito, quantæq; pecuniæ iudicatus erit, prædicato. Tertijs autem nundinis, si interea pactus non sit, capitis pœnas dato, aut trans Tyberim peregre uenum ito. Et si plures forent quibus reus esset iudicatus, tertijs nundinis parteis secanto. si plus minus' ue secuerunt, sine fraude esto.

Cum hæc lex XII. tabul. inhumana & dura à Phauorino philosopho diceretur, Sex. Cæcilius Iureconsultus eam tam acerbæ fidei seruandæ gratia fuisse latam affirmauit. Romani enim cum alias uirtutes, tum fidem & in publicis rebus, & in negotiorum contractibus coluerunt, ut ex hac lege deprehenditur, quæ tam grauem pœnam non seruanti in mutuo & debito fidem imponit, præsertim cum de partiendo & secando corpore humano loquitur. Sed eo consilio ut idem Cæcilius ait, tanta pœnæ immanitas denuntiata est, ne unquam ad eam perueniretur. uincti itaque plures fuerunt, quia uinculorū pœnā mali homines contēnant. nemo autē fuisse dissectus legitur, eo quod hæc pœnæ seuitia cōtēni impune nō potuit. De reliqua huiusce legis pœna Phauorinus carpēdo non meminit, nam culpa nō carebant

qui ea mulctabantur, cum debitoribus causa conquirendæ pecuniæ quam dissoluerent, hæc lex triginta dies dederit, quos x. iuri iustos appellarunt, eo quod illis diebus nihil cum debitoribus iure agi posset. Quod si interim nõ dissoluerent, ad prætorem uocabantur, & in uinculis sexaginta dies detinebantur, & interim paciscendi facultatem habebant, hoc si non faciebant, poenas huius legis merito luebãt. hoc ius postmodum in uinculis fuit lege Petilia sublatum, ut hoc libro dicemus. Iure tandẽ posteriori primo duo menses, deinde ex constitutione Iustiniani quatuor condemnatis, uel his qui se debere fatentur, ad soluendum dati sunt. & si intra id tempus non satisfecerint, aut eis pignora ex rescripto Diui Pij ad Cassium proconsulẽ capiuntur. deinde si intra duos menses nõ sit satisfactum, ipsa pignora uenduntur, ut Callistratus de re iudicata refert, seruato tamen ordine, qui ab Vlpiano sub eodem titulo ponitur, ut primo mobilia, deinde immobilia, & tandem iura pignori capiantur & uendantur. Quod si inopia condemnatus laborare dignoscitur, in uincula, nisi bonis cesserit, secundum Alexandri constitutionem deijcitur, ubi à creditore aletur, si bona quibus ali possit, ipse debitor non habeat. & huius rei cura iudicibus Honorij atque Theodosij sanctione demandata est. Et si uictum uel stratum quis inferri in carcerem iudicato non patiat, Lucinij Ruffini responso utilis in eum poenalis, uel iniuriarum actio danda est. In priuatis uel publicis criminibus agentes extraordinariam coërtionem patiuntur, ut apud Vlpianum de poenis legimus, etiam ubi ex parte rei tantum poena est, sicuti interpretes colligunt e prima Innocentij pontificis constitutione in dolosos & contumaces edita. Alia circa hanc rem ex libris Iureconsultorum deprehendes, nam & de his etiam quæ

proxime

proxime dixi, aliquod inter eos est disidium. Sed ad alias leges transeamus.

Furtiuæ res non usucapiuntor. Si libertus ab intestato moriatur nullum heredem suum relinquens, patronus ei succedito. Matrimonia inter patres & plebeios separata sunt. Si puerum quis castrauerit, licet pretiosiorẽ fecerit, quadruplum præstato. Qui fruges excantasset, pœnas dato. ne uel alienam segetem pellexeris excantando. ne incantanto. ne agrum defruganto. ne frugem aratro quæsitam nocte furtim depascunto. Puberes si secanto, Cereri eos suspendunto. Impuberes arbitrato prætoris uerberanto, ac noxam duplionem uel decernunto. Qui secus faxit, & terminum exararsit, ipse & boues sacri sunt.

Furtum ut eleganter Paulus diffinit, est contractatio rei alienæ fraudulosa, uel usus eius, possessionis uel inuito domino, lucrificandi gratia, quod lege naturali prohibitum est admittere. Furtorum, Cajo authore, duo sunt genera, manifestum, & non manifestum. Manifestum autem furtum est, ut Massurius ait, quod deprehenditur dum fit, cuius faciendi finis est, ut Gell. lib. ii. refert, quum perlatum est, quò ferri cœperat, & ideo bene dixit Vlpianus manifestum esse furem, qui cum furto deprehenditur. Hinc quid sit nec manifestum furtum, satis Caij iudicio apparet, nam quod manifestum non est, hoc scilicet nec manifestum est. Hæc præmissi, quo hanc x i i. tab. legem utpote generaliter scriptam, in omni furto intelligeremus, ut res furto

i 5 quali

qualicumq; furtiua non usucaperetur. harum etiam rerum lex Attilia usucapionem inhibet, ut à Iustiniano relatum est. planè si huiusmodi res furtiua in potestatem eius cui surrepta est, hoc est in domini potestatem reuertatur, ex lege Attilia usucapi poterit, sicuti apud Paulum lib. ff. 41. reperitur. De successione libertorum post hanc x i i. tab. legem prætor aliter suo edicto cauit, & disposuit. nam partem bonorum, & hereditatis liberti, qui aut liberos naturales, uel emancipatos non habebat, aut si habebat, exheredauerat, patronus edicto prætoris semper capiebat. Postea uerò plus lege Papia ipsi patrono concessum est, ut etiam equaliter cum filiis liberti decedenti factò testamento, uel ab intestato succederet, nisi ipse libertus treis aut plures liberos haberet, uel patrimoniū centum aureorum non relinqueret. Tandem ex cōstitutione Iustiniani imperatoris huic rei modus fuit impositus, ut liberti testanti, & centum in bonis nō habenti, patronus nullo modo succederet, sed ab intestato nullis extantibus liberis tota liberti hereditas patrono deferretur, quòd hac lege x i i. tab. cauebatur. Si uerò supra centum aureos libertus relinquebat, patronum à liberis excludi Iustinianus uoluit. sed his non extantibus idē Iustinianus ab intestato totam hereditatē, et factò testamēto tertiam bonorū partem debere per bonorū possessionem cōtra tabulas patronū assequi constituit. Alia deinde lege ne cōnubia inter patres & plebeios essent promiscua, cōstitutum est, & hoc ideo, ut Genucius & Curiatius consules longe post x i i. tab. interroganti tribuno responderunt, ne incerta prole, auspicia turbarentur, cum plebeij, sicut patres auspicia non haberent, & ne ex huiusmodi matrimonio nati cuius sanguinis, quorum uel sacrorum essent ignorarent, cum dimidij patrum, dimidij plebis

plebis essent ne secum quidem ipsi concordēs. Hac ratione quod posse auspiciari, tanquàm inuisi dijs immortalibus plebeij negarentur, plebs usque adeo secundum Liuium 4. lib. exarsit, ut non prius contendere desierit, quàm consensu patrum legem, ius x i i. tab. tollētem, Canuleio tribuno auctore tulerit, ut scilicet connubium patribus cum plebe esset. Nec consulum ratio obstare debuit, quia ut Canuleius plebis Tribunus dicebat, patrem liberi sequuntur. Sed post similis poenae obseruantia lege Papia & Iulia in matrimonijs inducta ac repetita est, quibus ut Iulianus & Paulus lib. ff. tertio & uigesimo scribunt, cautum est, ne Senatores, eorum uel liberi scientes dolo malo libertas, aut eam quae ipsa, cuius uel pater uel mater artem ludicram facit, uxores haberent. ne uel senatoris filia, neptis uel libertino aut arte ludicram facienti nuberet, sed & hoc ab Iustiniāno tandem emendatum est cum sanxit, ut nulla dignitas confectis dotalibus instrumentis libertae matrimonium prohiberet. Nostri tamen Allobroges patricij legem x i i. tabu. exacte custodiunt, nam apud eos patricius patriciam, & plebeius plebeiam uxorem ducit. quod si qua puella nobili genere nata plebeio homini alioquin diuiti & ornato nubat, ab alijs negligitur. malunt enim ut mulieres inopi marito nobili genere nato nubant, quàm plebeio locupleti & ornato, quorum an sententia probanda sit, alius dijudicet. nam horum morem secutus sum, dum quādam uirginem nobili genere ortam me arctissimo gradu contingentem matrimonio iam pridem collocarem, quare aequus arbiter, utpote eiusdem sententiae conscius, esse non possem. Deinde alia lex x i i. tabul. castrantem puerum in quadruplum punit. posse etiam ex hoc facto actione iniuriarum, aut ex edicto aedilium agi Vlpianus de lege Aquilia dicit. Domitianus quoq;

quoq; castrari mares uctuit, sed & qui hominem libidinis uel commercij gratia castrabat è Senatusconsulto, ut Marcellus lib. ff. duodequingagesimo autor est, postea pœna legis Corneliæ puniri cœpit. Hoc deinde & Adriani edicto additum est, ut bona castrantis fisco applicarentur, ut serui huius criminis rei ultimo supplicio afficerentur. ne quis liber seruus uel inuitus aut uolens castraretur, & ut sponte se castrandum præbenti, & medico excidenti capitale esset. Constantius postmodum debere eunuchos facientem capite puniri constituit, factos autem non posse in quenquam alienari Leo imperator mandauit. Non omittam, quod seruum castrandum tradenti pœnam dimidiæ partis bonorum Senatusconsultum Neratio & Antonio consulibus factum imposuit. de his, si plura intelligere cupias, ex libris iureconsultorum plenam cognitionem habebis. Alia lex eos capiti obnoxios facit, qui alienas segetes excantassent, aut ullis ueneficijs & carminibus alienas pellicere segetes auderent, nam magicis quibusdam artibus posse segetes trāsferri Virg. hoc carmine in Buc. ostendit. Has herbas atq; hæc ponto mihi lecta uenena ipse dedit Mœris, nascuntur plurima ponto. His ego sæpe lupum fieri & se condere syluis Mœrim, sæpe animas imis excire sepulcris, Atq; satas alio uidi traducere messes. & hanc x i i. tabu. legem Seruius illum locum enarrans citauit. Ex hac x i i. tabu. lege ut octauo & uigesimo lib. Plinius ait, uerba & incantamenta carminum ualere aliquid ostenditur, aliàs inanis horum prohibitio esset. Et Solinus quasdam in Africa fuisse hominum familias uoce et lingua effascinātes dicit, quæ si pulchras arbores, lætioresq; segetes, aut amœnos infantes, egregios uel equos, uel pecudes cultu atq; pastu optimas forte impensius laudassent, repente emoriebātur. et ideo Virg. dicit, Nescio quis

quis teneros oculus mihi fascinat agnos. Et cum C. Furnius Crasinus è seruitute liberatus, multo plures fructus in paruo admodum agello quã ex ampliſſimis agris uicinitas perciperet, seu fruges alicnas ueneficijs pelliceret, in magnam uicinorum inuidiã deuenit, & propter id à Sp. Albino Curuli dies ei dicta est. sed cum Tribus super hac re in suffragium irent, Furnius damnationem timēs omne instrumentum rusticum, ferramenta egregie facta, graueis ligones, pōderosos uomeres, bouesq; saturos, in foro attulit. filiamq; ualidam, et bene uestitam in eundem locum adduxit, postea hæc sua esse ueneficia Quiritibus dixit, nec posse lucubrationes, uigilias & sudores quos in excolendo agro conceperat ostendere, aut in forum adducere affirmauit. itaq; ex hoc omnium sententijs absolutus est. Verba autem aliquid ualere Plinius alijs argumentis probat, non enim rite ut ait, dij sine precatione apud Romanos consulebantur, & alia erant uerba impetrantis, alia depulſoris, & alia commendationis, & ne quid uerborum præpostere diceretur, de scripto præibat aliquis. Idem Deciorum patris, filijq; quo se deuouere, carmen. & Tucie Vestalis incestæ precationem, qua usa aquam in cribro tulit. alia quoq; id genus plurima extare dicit, ut uim carminū fateri sit necesse. Horum etiam potestatem Damon & Alpheſibeus apud Virg. in Buc. enumerant. Sed licet magica ars medicinam autore Plinio amplexa fuerit, ueruntamē incantationem aut exorcizationem, non esse medicinæ genera Vlpianus de uarijs cognitionibus tradit. tametsi, ut ipse ait, quidam reperiantur, qui hac arte utentes sibi profuisse cum magna prædicatione affirmant. utcunque fuerit, has incantationes lex XII. tabu. prohibet. Planè licet Romani, ut Seruius docet, plura sacra susceperint, magica tamen semper damnarunt, quod

quod Verg. sic per Didonem ostendit, Testor chara deos,
 et te germana tuumq; Dulce caput, magicas inuitam accin-
 gier artes. Aduersus magicas quoque artes fuisse legem
 x i i. tab. scriptam, Augustinus de ciuitate dei testis est. hæc
 ars posteriori iure etiam pontificio inhibita est, ut supra
 retuli. Quod si quis huius magicæ artis originem speciesq;
 postulet, Plinius cum alijs locis, tum libro trigesimo osten-
 dit & explicat atq; damnat. Insuper alia lex frugibus no-
 centes punit. nam frugem aratro quæsitam noctu furtim
 pauisse, ac secuisse puberi x i i. tabulis secundum Plin. lib.
 duodeuigesimo capitale erat, suspensumq; grauius necari
 quàm homicidio conuictum iuebant. impuberem uerò in
 hac re delinquentem, x i i. tab. prætoris arbitrato uerbera-
 re, noxam'ue, aut duplum decernere cogebant. Hodie is qui
 segetem ante lucem secatur & contractat, eius quod secatur,
 Vlpiani responso fur manifestus, & nec manifestus est.
 Frugum appellatione, ut Iulianus scribit, generaliter uenit
 redditus, qui ex frumento, leguminibus, uino, syluis cædijs,
 cretisq; lapidicinis capitur. Duplio quoque uerbum
 quo hæc lex utitur, antiquum est uocabulum, nam teste Fe-
 sto duplum hodie dicimus. sic ipse, ut autor est Priscianus,
 à uetustissimis Terentio & alijs prolatum inuenitur, quo
 uocabulo ut retuli, lex x i i. tab. utitur. ex hoc loco satis pa-
 tet, prætores tempore x i i. tab. fuisse. Quod postea de ter-
 minis sequitur, post Numam excogitatum est. ante x. uiros
 enim Numa rex terminos inuenit, et ut eos transferens in-
 terficeretur constituit. post x i i. tab. de hac re consules, Iu-
 reconsulti, & imperatores multa constituerunt. nam agraria
 lege ab Iulio Cæsare lata pro singulis terminis quos ali-
 qui ciecerint, loco'ue mouerint, quinquaginta aureos publi-
 co dare iubetur, reseruata actione ei qui uolet. Alia quoq;

agraria

agraria lege, quàm Diuus Nerua tulit, cauetur, ut aduersus seruum, seruamue hæc res capitalis sit, nisi dominus dominaue qui inscij erant mulctam sufferre maluerint. Sed & Adrianus rescripsit eos, qui terminos finium caussa positos protulerint, pro conditione personæ, & mente facientis debere puniri. ut si splendidiore homines finium occupandorum caussa, id admisisse conuincantur, ad tempus ut cuiusq; patietur ætas (uerbi gratia iunior in longius, senior in breuius) relegarentur. Quod si alij negocium gesserint, & ministerio functi sint, castigari, & ad opus publicum biennio dari Adriani rescripto possunt. sed si per ignorantiam aut fortuito aliqui lapides furati sunt, eos uerberibus cædere sufficet. Hæc & alia Iureconsulti exactius discutunt, proinde eos adeas, si plura de his requisieris. aliam enim legem x i i. tab. referre uolo.

Glandem in alienum fundum procidentem colligere fas esto.

Hanc legem x i i. tab. Plinius lib. 16. nobis tradidit, cum ea cautum fuisse dicit, ut colligere glâdem in alienum fundum procidentem liceret. Prætor deinde suo edicto præcepit, ut tertio quoq; die aliquis glâdem quæ ex fundo suo in agrum alterius caderet, legere & auferre posset. Glandis autem nomine omnes fructus continentur, sicut post Iabolenum Caius de uerbo. signifi. dicit, & sub titulo de glande legenda Vlpianus tradit. aliæ leges x i i. tab. sic scriptæ erant.

Ioue tonante, fulgurante, ne Comitia funto. Si tibi furtim arbores cæsæ sint, agito. Hæreditates in testamento iure factò dataæ rataæ funto. Si iudex uel alteruter ex litigatoribus morbo fontico impediatur, dies iudicij diffusus esto.

Si aqua

Si aqua pluuiâ nocet, arcesso.

In augurum disciplina diligenti cura prouisum est, nequid cum populo ageretur, si tonitrua, aut fulgura extitissent, eo quod illa omnia, quæ tunc senatus populusq; Romanus decerneret, dijs superis displicere uiderentur. Et quod hæc lex longe post x. uiros illius scriptores seruata fuerit, multis comprobatur exemplis. Nam Pompeius cupiens comitia quædam dissoluere, ne Cato prætor crearetur, se per mendacium audiuisse tonitrua dicendo, ea autore Plutarcho dissoluit. quinimmo Marcellus comitijs iam COSS. designatus ob crebra tonitrua, quæ augurum iudicio tristia significabant & portendebant, se magistratu abdicauit. Ipsa quoq; Flaminica audiens tonitrua tantisper ferias celebrabat, & nihil agebat, dum rite deos placasset, ut apud Macrobiū legimus. Tiberius uerò Cæsar tonitrua præter modum expauescens turbatiore cælo coronam lauream ceruice gestabat, quod fulmine id genus frondis afflari negetur. Sed Augustus pro remedio fulgurum et tonitruum pellem uituli marini semper & ubiq; circumferebat, atque ad omnem maioris tempestatis suspicionem in abditum et concameratum locum se recipiebat. Pro arboribus autem furtim cæsis, & ex lege Aquilia, & ex lege x i i. tab. dandam esse actionem Labeo existimauit, cui Trebatius assentit, quando iudex in posteriori actione deducit quod ex priori agens consecutus est, & ex reliquo condēnet. Furtim autem cæse arbores secundū Vlpianū dicuntur, quæ ignorāte domino, eiusq; celandi causa cæduntur. quod si quis arborem cæciderit, & lucrificandi gratia contractauerit, Pauli responso etiā furti tenebitur, et cōdemnatio quæ fit ex hac actione, duplum continet. hanc legem x i i. tab. referunt, & in titulo arborum furtim Cæsariū interpretantur Iureconsulti.

sulti. Legem uerò quæ sequitur, Vlp. de uerbo, signifi. comprobatur, tradens non improprie ab aliquo dici lege eam obuenire hæreditatem, quæ etiam è testamento defertur, quia lege x i i. tab. secundum eius sententiam testamentariæ hæreditates confirmantur. Sed & Iustiniani testimonio sui, & necessarij hæredes instituti, uelint nolint ue sicut ab intestato è lege x i i. tab. hæredes fiunt, & sic lex hoc casu hæreditates è testamento delatas confirmat. Porro in alia lege quæ sequitur, & in alijs locis morbum fonticum Iulianus, Modestinus, Cassius, & Venulecius, ut in Pandectis habetur, pro morbo perpetuo, & cuiuscunq; rei agenda nocenti acceperunt, & ideo æqua ratione, cum iudex uel alteruter è litigatoribus morbo fontico laborat, & impeditur, ipsa lex x i i. tab. diem iudicij differt, siue in iure iudicando, ut Iulianus lib. Pandectarum altero & 40. scribit, siue cum quis in iudicio se sistere promiserit, ut apud Vlp. de cautionibus in iudicio sistendi caussa factis scriptum inuenimus. Paulus tamen de iudicij ait, morbum fonticum iudicandi necessitatem remittere, & ideo iudicem mutari debere non simpliciter esse diem iudicij differendum. Ultima lex quam retuli, de aqua pluuia disponit, & eam post ueteres Pomponius de statuliberis hoc modo interpretatur. Si aqua pluuia nocet, id est nocere poterit. nam ut Vlpianus scribit, per aquæ pluuie arcendæ actionem auertitur aqua, quæ nocitura est, & in damno nondum facto, dummodo opus iam factum sit, hæc actio locum habet, hoc est de eo opere, ex quo damnum timetur, hæc actio competit: totiesq; locum habet, quoties manu facto opere aqua agro nocitura est, & cum quis manu facit, quo aliter aqua fluat quam natura fluere solet, ut si forte immittendo eam, aut maiorem, aut citatiorem, aut uehementiorem fecerit, aut si compri-

mendo eandem redundare effecerit, porro si natura aquæ noceat, hæc actio locum non habet. Aquam pluuiam iureconsulti eam appellant, quæ de cælo cadit, atq; imbre excrescit, siue per se hæc aqua cælestis noceat, ut Tubero ait, siue cum alia mixta sit. de hac re ipsi iureconsulti integrum habent titulum, & ideo quia in huiusmodi aqua incassum ultra progrederer, alias x i i. tabu. leges referam.

Si status dies fit cum hoste, uenito Item aduersus hostem æterna autoritas esto. Qui erit testator, libripens uel fuerit, si graui crimine damnetur, in testimonium feriat, improbus intestabilisq; esto.

Hæc leges quia manere sunt, uix sanum recipiunt intellectum, nihilominus sic eas ueterum scripta contemplati seriatiim intelligimus & interpretamur, ut qui in iudicio sisti promiserit, secundum suam promissionem sistat. Iustiniانو enim autore conuentus accepto libello, quod in iudicio usq; ad terminum litis permaneat, nudam dare promissionem, uel pro qualitate personæ suæ satisfactionem præstare compellitur, aut in iudicio sisti iureiurando promittere cogitur. Hæc x i i. tabu. lex parere huic promissioni iubet. unde Plautus ait, oportet ire, dies est status cum hoste, alioquin si statum non sit adiectam poenam reus, aut fideiussor præstat, aut si certa poena in promissione non accesserit, incerti cum altero eorum in id quod interest, agendum esse Cæsius & Vlpianus lib. ff. 2. crediderunt, & scripserunt. Et tanta huiusce legis x i i. tabu. autoritas erat, ut etiam milites dum in uerba ducis exercitus iurarent, hanc legem acciperent. Militibus enim scriptis dies quo adessent, & citati consuli responderent, præfiniebatur. deinde ut adessent,

iur

iusiurandum concipiebatur, nisi finus familiare, aut ferie uindemiales essent, & nisi morbo fontico, auspicio'ue, quod sine piaculo præterire non liceret, detinerentur. & nisi sacrificium anniuersarium haberent, quod eis absentibus recte fieri non posset. aut ius, hostis'ue status, condictus'ue dies cum hoste foret. postridie autem quàm per eas causas liceret, se uenturos deinde promittebant milites. Si quis tamen ad testimonium desideratus, aut sine dolo malo suo municipalis muneris causa impeditus, aut ualetudine, ui fluminis, tempestate, domesticoq; funere, aut alijs id genus impedimentis prohibitus in iudicio secundum suam promissionem non steterit, exceptione adiuuandus, atq; excusandus est, ut Paulus, Vlpianus, & alij plures iureconsulti dicunt. nam & ipsa x i i. tabu. lex, iudice, uel alterutro è litigatoribus morbo fontico impedito, diem iudicij, ut paulo ante retulimus, diffusum esse iubebat. Quod si nostri iuris obseruandi adeo cupidus existas ut plura de hac re exigas, nostras Pandectas adi, & in eis aliquot de iudicio fisti titulos inuenies, qui mea opinione tuo satisficient desiderio. Lex quæ deinde sequitur, perpetuam in aduersarium dat actionem, nam actiones quæ ex lege, senatus'ue consulto, siue è sacris constitutionibus proficiscebantur, perpetuo competere antiquitus, id est hac x i i. tabu. lege solebant, ut Iustinianus ait. Aeternam enim auctoritatem aduersus hostem habere, est perpetuo posse contra aduersarium experiri. & ex Attinia lege ostenditur, quæ autore Gell. rei subreptæ eternam esse auctoritatem uolebat, quod nihil aliud est, ut iureconsulti interpretantur, quàm nunquam posse rem furtiuam usucapere, sed posse eam semper uindicare. His postmodum actionibus sacræ imperatorum constitut. x x x. annos tantum dederunt. realibus uero ad rem mobilem

bilem triennium. sed pro re immobili inter præsentes x. annos, & inter absentes x. x. constituerunt. Et quia annale prætoris imperium erat, actiones ex propria eius iurisdictione pendentes, nisi in furem manifestum, aut bonorum possessori competere, anno extinguebantur, sicut à nostris iurisperitis didici. Hostis in prædictis x. i. tabu. legibus teste in officijs Cicerone peregrinum significat, hoc enim uerbo maiores, ut à Tull. & Varrone traditum est, peregrinum, qui suis uteretur legibus, dicebant. postea Romani ut lenitate uerbi tristitiam rei mitigarent, perduelles hosteis uocarunt, ut post Tullium & Varronem Caius quoq; de uerborum & rerum significatione tradit. Ultima lege aliqui ferre testimonium prohibentur. quidam certe propter reuerentiam, ut libertus. quidam ob lubricum consilij sui, ut impuberes. alij propter notam & uitæ suæ infamiam, ut publico iudicio damnati, cum bestijs mercede pugnantes, & palàm quæstum facientes, non sunt ad testimonij fidem lege Iulia admittendi, ut apud Callistratum inuenitur. Sed hæc lex graui crimine damnatum improbum, intestabilemq; reddit, quæ ob uerbum intestabilis hunc sensum, ut quæuis alia lex hoc uocabulo utens, secundum Caij interpretationem recipit, ut eius damnati testimonium non recipiatur, ne'ue ipsi damnato testimonium dicatur. Vnde cum ob carmen famosum damnatus à senatusconsulto intestabilis fiat, nec testamentum facere, nec ad testamentum adhiberi testis Vlpiani, Arcadij'ue responso poterit. nec est mirum, quoniam uerbum testor, à quo intestabilis fuit, sicut confiteor, & quædam alia auctore Gell. & Prisciano commune erat, ea propter in alia lege x. i. tabu. æris confessi passim'ue legimus. Et Aulum, Tiberiumq; filios duorum prædiorum hæredes, Seruius Oppidius moriens his uerbis

apud

Abud Horatium intestabiles reddebat. Præterea ne uos titillet gloria, iure Iurando astringam ambos uter edilis fuerit, uel Vestrum prætor, is intestabilis, & sacer esto. Libripens, cuius hæc lex meminit, in testamento adhibebatur, quod per familiæ mancipationem fiebat. Tria enim fuisse testamentorum genera, è Gellio & Iustiniano accepimus. unum quo Romani in pace & ocio utebantur, & calatis comitijs in concione populi fiebat. alterum cum uiri ad prælium faciendum in aciem uocabantur, in procinctu fiebat. tertium genus testamentorum per emancipationem, id est imaginariam quandam uenditionem quinq; testibus & libripende ciuibus Romanis puberibus, & familiæ emptore præsentibus componebatur, & ideo per æs & libram id testamenti genus dicebatur. Sed duo prima testamentorum genera dissiuetudine sublata sunt. id uerò quod per æs & libram fiebat partim remansit, & partim in usu esse desijt, ut præclare Iustinianus explicat. Sed ne in occulto habeatur, quod unum testamenti genus fuisse aliquando calatis comitijs factum diximus, scire oportet comitia quæ pro collegio pontificum aut regis sacrorum, aut flaminum inaugurandorum causa habebantur, Labeonis testimonio calata fuisse appellata, & iisdem comitijs sacrorum detestatio, & testamenta fieri solebant, ut de primo testamentorum genere relatum est. Alia certe quedam comitia erant, quæ Curiata, & centuriata dicebantur, & ut Gell. eleganter tradit, Curiata per listorem curiatim calabantur, id est conuocabantur, & in eis è generibus omnium ferebatur suffragium. Centuriata uerò non in forum ut Curiata, sed in Campum Martium per Cornicinem conuocabantur, & in eis ex censu & ætate suffragium ferebatur. quod si è regionibus & locis suffragia ferebatur, Tributa

comitia dicebantur. Et comitia uniuerso conuocato populo dicebantur, alioquin consilium erat. Et ideo quæ tribuni ad plebem tulerunt non leges proprie, sed plebiscita appellantur, quia ad id neq; aduocabantur Patricij, neq; ad eos ulla gestorū fiebat relatio. Alia lex XII. tabu. erat.

Via latitudo in porrectum octo pedes, in anfractum, id est ubi flexum est, sedecim habeto. Venditæ res & traditæ post pretium solutum, aut si alio modo satisfactum existat, emptori acquiruntur. Vendendi statuliberos ius potestasq; esto. Quodcunq; postremum populus iusserit, id ius ratumq; esto.

Via cuius prima lex meminit, actum & iter in se continet, & ius cundi, agendi, & ambulandi à iure consultis dicitur, & hanc legem sicut descripta est Caius lib. Pandect. s. retulit. Via tamen secundum Pauli responsum uel latior octo pedibus, uel angustior constitui potest, ut tamen eam latitudinem habeat qua uehiculum ire possit, alioquin non uia sed iter esset. Legi deinde relatæ accommodatur, quod Iustinianus ait, ut uenditæ res & traditæ non aliter emptori acquirantur, quàm si uenditori pretium soluerit, aut alio modo promissione uel pignore dato satisfecerit. quod quidem licet hac lege XII. tabu. caueatur, tamen etiam iure gentium, id est naturali iure, Iustiniano autore, id effici recte dicitur. Aliud ipse Iustinianus addit, quod hac lege expressim non cauetur, ut si uendens fidem emptoris secutus rem tradiderit, statim res ipsa emptoris fiat. Et statuliberos uenundari posse leges XII. tabu. etiam putauerunt, duris tamen conditionibus ut Modestinus ait, in uenditione minime onerandi sunt, ueluti ne intra certa loca seruiant, aut ne
unquam

unquam manumittantur. Sunt autem statuliberi, ut eleganter Paulus diffinit, qui in tempus uel conditionem, statutam uel destinatum habent libertatem. Emptionis quoque uerbo legem x i i. tabu. omnem complecti alienationem Pomponius credidit. Postremo non ineleganter una x i i. tabu. lege cautum est, ut ultimo loco constitutum à populo ratum haberetur, quod hodie seruamus ad unguem, non enim est nouum Pauli testimonio ut priores leges ad posteriores trahantur, sed & posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariae sint, quo casu antiquae noua abrogat, ut apud Lium huius legis autoritate P. Sempro. plebis tribunus affirmat. Illud quoque, ut Iulianus scribit, receptum est, ut non solum legislatoris suffragio, sed etiam tacito populi consensu leges per dissuetudinem abrogentur. Olim tamen Roma. seditionibus haec lex x i i. tabu. interdum neglecta fuit, nam cum ambo consules iuxta uetus institutum e patricijs aliquando crearentur, Tribunis intercedentibus, Fabius interrex huiusce legis autoritate Plebiscitum à Licinio de altero consule ex plebe creando nouissime latum tueri uoluit, ut Li. refert, sed non obtinuit quin C. Potitius, & M. Valerius Publicola patricij ambo secundum uetus institutum crearentur consules. Praeterea cum lex Aemylia, utpote ultima, in tempore Censurae antiquam abrogasset, nihilominus Appius Claudius secundum legis antiquae dispositionem censuram gessit, & hanc x i i. tabu. legem aliter quam dixerimus interpretabatur, quod P. Sempronio plebis tribuno summopere displicuit, ut in nouo Liuij libro abunde legitur. Complures aliae in x i i. tabu. leges fuerunt, sed omnes enumerare infinitum esset. Et has leges x i i. tabu. pueri ut carmen necessarium discebant, sicut Cicero testis est. sed iam ipsius Ciceronis tempore eas nemo

discebat. Ad harum autem legum descriptionem rursus mutata fuit Romanae ciuitatis forma à COSS. ad uiros x. anno secundum Liui. trecentesimo altero quàm condita fuerat, quæ mutatio repetitis paulopost consulibus nequaquam diuturna fuit. Etenim ut leges à Posthumio, Sulpitio, & Manlio legatis è Græcia allatæ transferrentur & describerentur, x. uiri sine prouocatione creati sunt, & ne quis eo anno alius esset magistratus, & ex patribus hac conditione ne lex Iulia de Auentino, aliæq; secretæ leges abrogarētur. Decem uiri hi fuere. Appius Claudius, T. Genutius consules in eum annū designati, P. Sestius anni prioris consul alter. & SP. Posthumius, P. Sulpitius, & A. Mālius pro legationis præmio creati, L. que Veturius, C. Iulius, P. Curiatius, T. Romulius ætate graues, qui leges trāslatas x. tabulis exposuerunt. mox cum satis correctæ uiderentur, centuriatis comitijs eas pertulerunt, ac simul se magistratu abdicarunt. Sed cū his tabulis ius Roma. minime absolueretur, anno sequenti x. uiri iterū creati fuerūt Appius Claudius, M. Cornelius Maluginensis, M. Sergius, L. Minutius, Q. Fabius Vibulanus, M. Robuleius, T. Antonius, Merēda, & tres plebeij Q. siue ut alij uolūt, T. Petilius, Cæso Duillius, & SP. Oppius Cornicē, qui duas adiecerūt tabulas, dictæq; sunt leges x i i. tab. Quibus additis, cum pacto dominationis hi uiri magistratum sibi prorogarent, nec eo magistratu Resp. alterius indigeret, unusq; ex ipsis Appius Claudius Virginij filiā uirginem ingenuā per uim libidinis gratia in seruitutem asserere conaretur, milites primū auctore Virginio, mox plebs urbana Auentinū montē occupauit, x. uiros abdicare se magistratu præcepit, eosq; omnibus aut morte, aut exilio in urbē reuersa puniuit. Appius uerò Claudius mortē in carcere sibi cōsciuit. & ita Resp. creat

creatis consulibus rursus statum suum recepit. At cum his
 x i i. tabu. legibus aliqua durities contineretur, ut apud
 Gell. Phauorinus philosophus contra Cæcilium iure consul
 tum multis rationibus ostendit, nec ulla lex Iuliano auto
 re ad omnia sufficiēter ab initio promulgata uideatur, cum
 ut Cæcilius respondens Phauorino, & Valerius apud Li
 uium in bello Macedonico dicebant, legum oportunitates,
 & medelæ pro temporum moribus, & pro rerum publi
 carum generibus, & pro utilitatū presentium rationibus,
 proq; uitiorum seruatoribus, quibus medendum est, mutentur
 & flectentur, ideo populus Ro. angustare, & ampliare
 ius x i i. tab. postea cœpit, leges sicuti ante x. uirorū crea
 tionem solebat, interrogante Senatorio magistratu, ueluti
 consule, constituēdo. Vnde apud Gell. lib. 10. Atticus Capi
 to iuris peritus legem esse dicit, iussum populi, rogante ma
 gistratu, cuius caput, & origo, & quasi fons sicut & plebi
 sciti, rogatio est. Ista enim uocabula rogationis principali
 genere & nomine continentur. nam nisi plebs aut populus
 rogatur, nullum plebis, aut populi iussum fieri potest.
 Nec ab re legem rogante magistratu fuisse à populo con
 stitutam Capito dixit, quoniā uarij magistratus, ut in lege
 magistratuū dictum est, leges à populo rogarunt. frequen
 tius tamē rogante consule leges à populo fiebant. quapro
 pter tuemur iuris peritos nostros qui legē esse dicunt, quod
 Po. Roma. senatorio magistratu interrogate, ueluti consu
 le cōstituebat. Quod autē populus suis legibus ius x i i. ta.
 angustauerit, in lege Aelia Sentia constat & apparet. nam
 cum una lex x i i. ta. autore Pomponio de uerborū signifi
 catiōe sic scripta esset, Vti quis legasset, ita sua rei ius esto.
 & illis uerbis latissima potestas hæredes instituendi, lega
 ta & libertates dandi, tutelæ quoq; constituēdi tributa ui
 k 3 decretur,

deretur, huic legi in hæredis inscriptione, & libertatis datione Aelia Sentia derogavit: qua cautum fuisse Celsus de hæredibus instituendis tradit, ut si duo, plures uel serui ex eadem causa hæredes ab eo qui non est solvendo scripti essent, uti quisq; primus scriptus esset, hæres esset. non autem omnes, sicut legi x i i. tab. placuit, lex Aelia Sentia hæredes esse uoluit. Præterea cum eadem lex x i i. tab. liberã dandæ libertat. facultatem ut dictum est præberet Aelia Sentia ita demum seruo qui in fraudem creditorum hæres institutus esset, libertatem conseruat, si nemo alius ex eo testamento hæres esse possit, ut loco eodem Paulus scriptum reliquit. Econtrario populum suis constitutionibus x i i. tab. ampliasse, & suppleuisse testis lex Iulia maiestatis erit, quæ eum teneri præcepit, qui in bello cesserit, aut arcem tenuerit, castra uel concesserit, & qui iniussu principis bellum gesserit, aliter uel maiestatem publicam leserit, licet eum duntaxat qui hostis concitasset, qui uel opem hosti tradidisset, lex x i i. tab. capite puniri disposuerit. & horum similia in iure ciuili lectitabis. Modum certe leges populo rogandi hunc fuisse legimus, ut trimo promulgarentur nundino, id est ut Valla lib. elegantia 3. opinatur, tribus in locis uno die aut tribus diebus uno in loco celebrarentur, nec alio modo iure latæ esse dicebantur. Nam cum unoquoq; die, ut Macrobius ait, rustico opere, rureq; intermisso populus ad mercatum, legesq; audiendas Romam ueniret, lex primo foro, & secundo legebatur. at tertio foro, cū turba ex agris uenisset, rogatio fiebat, & præco subijciente scriba uerba legis populo referebat: deinde consul an lex placeret, populum interrogabat: demum respondendo populus sanciebat. Sed hæc deinceps, ut idem Macrobius refert negligentius obseruata, & postremo abolita fuerunt. Lex præter-

ea in es incisa in ararium condebatur, nec posthac ut è Tranquillo in uita Iulij didicimus, eam corrigere licebat. prætereo quod ubi duæ sunt contrariæ leges, antiquæ noua abrogat, ut apud Liui. lib. 9. reperitur. Nec suscipiente postea senatu Rcipu. curam, populi omnino circa ius constituendū potestas exoleuit, ut leges aliquot latæ senatu Rcipub. curam habete, probant. Pompeia de parricidijs, Cornelia de falsis, & Cornelia de sicarijs, omnes paulò ante Iulium latæ, qui harum constitutionū autores Pompeium & Syllam uidit. Cæsar quoq; consulatum cum Bibulo gerens postea legem Agrariam tulit. Quinimmo Octauiani imperatoris temporibus suffecti consules Papius & Pompeius legem Papiam & Pompeiam secundum Gratianum tulerunt, & Falcidiam Falcidius plebis Tribunus. Sed ut primam ciuilem disciplinæ speciem absoluamus, memorare consules, & alios magistratus conuenit, qui post x i i. tab. leges ad populum tulerunt. Dicemus igitur post Liuium, Nepotem, Gell. & Macrobiū Satur. i i i. Blondumq; in Roma triumphante, & iurecōsultos, Philclphum & alios, quas leges post x i i. tab. populus Ro. consule & alio magistratu interrogante constituerit. Non omnes leges tamen enumerare proponimus, sed eas tantum, quarum uetusti scriptores crebrius meminerunt.

L Ex Valeria et Horatia. Post sublatam x. uirorū potestatem L. Valerius, & M. Horatius C O S S. creati, cum ueluti in controuersia esset, an patres plebiscitis tenerentur, legem Centuriatis comitij tulerent, ut quod Tribuni plebiscitis iussissent, populus teneret, et nequis ullum magistratum sine prouocatione crearet. quod si aliquis creasset, cum occidi ius fasq; esset, ne ue ea cædes capitali noxæ haberetur. Sanxerunt etiam, ut caput eius qui tribunus plebis,

plebis tribuni
auctori-
tas.

plebis, ædibus, iudicibus, x. uiris nocuisset, Ioui sacrū esset, & familia ad ædem Cereris, liberi, liber æq; uenum irent. Duas leges tamē nouissimas ipsi consules nō inuenerūt, sed alteram de prouocatione de cœuiri potestate euersam, alteram quæ iam memoria oboleuerat renouarunt, & etiam in posterum munierunt. & uariam ultimæ legis interpretationem apud Lium lib. 3. uidebis. Institutum etiam ab iisdem consulibus fuit, ut S. C. in ædē Cereris ad ædiles plebis deferretur quæ ante arbitrio consulum supprimebatur & nunciabatur. Postea autem Senatusconsulta ad ærarium deferri institutum est, ut ex M. Cicrone Philip. quinta, & Tranquillo in uita Augusti colligitur. Iidem consules contra hostes profecturi priusquā urbem egredierentur x i i. tab. in æs incisas in publico proposuerunt, quod iussu tribu-
 norum fuisse ab ædilibus factum aliqui tradunt.

L Ex Aemylia. Mamercus Aemilius dictator propter belli suspicionem quam hostes præbebant, dictus est. sed eis pacatis materia quærendæ bello gloriæ adempta, in pace aliquid operis edere cupiens, & quod monumentum esset Dictaturæ legem tulit, ne plus quàm annua ac semestris Censura esset. cum uetere instituto, seu malueris lege x i i. tab. magistratus quinquennio duraret, & huius Aemiliæ legis interpretationem Lium lib. 9. ponit. Post centesimum tamen annum quàm lata est Ap. Claudius supra duodeuiginti menses inuitis aliquot tribunis, summaq; onyuium ordinum inuidia solus Censuram gessit. Augustus uerò morum, legumq; regimen. id est Censuram perpetuā sicut Cæsar recepit, & ter censum populi, primum ac tertium dum collega, medium solus peregit. Et causam huius legis ferendæ apud Lium lib. 4. reperies. Indignum enim Aemilius esse credidit, cum alij magistratus annui
 essent

essent ut Censura magnus magistratus quinquennalis esset.

L Ex Papyria. L. Papyrius Crassus, et L. Iulius C O S S. Legem de multarum æstimatione ualde populo gratam ferre præoccupauerunt, cum eam ab Tribunis parari unius ex collegio prodicione excepissent.

L Ex Manlia. Cn. Manlius consul legem de uicesima eorum qui manumitterentur, nouo exemplo ad Sutrium in castris tributum tulit. & quia ea lege magnum uectigal inopi ærario additum esset, patres fuerunt autores. Ceterum Tribuni plebis non tam lege quam exemplo moti, leges in castris ferre deinceps prohibuerunt.

L Ex Sacrata militaris, quæ & Valeria. Cum milites Claudio Martio Rutilio, & Q. Seruilio consulibus adiuuandæ Campaniæ Capuæ consilia inissent, atque secessissent, ut reconciliarentur M. Valerius Coruinus Dictator, legem Sacratam militarem tulit, ne alicuius militis scripti nomen, nisi ipso uolente, dcleretur, & nequis ubi tribunus militum fuisset, poste ordinum ductor esset. alij omnem rem actam non per dictatorem, sed per consulem ferunt, quod non refert.

L Eges Publicæ. P. Philo dictator tres leges secundissimas plebi, aduersas nobilitati tulit. Vnam ut plebiscita omnes Quirites tenerent. alteram ut ante initum suffragium patres legum, quæ comitijs centuriatis ferrentur, autores fierent, quod ante non erat, ut è Liuiolib. 1. ab urbe condita intelligere licet. nam post initum suffragium, & leges à populo rogatas patres, si dignas leges populus sanxisset, autores fiebant. Tertiam legem tulit, ut utrunque Censorem plebeium fieri liceret, quoniam licet censura patricius esset magistratus, eò tamen iam uentum erat, ut alter cen-
sor

for utiq; ex plebe crearetur.

L Ex Petilia. C. Petilius, et L. Papyrius Mugillanus siue
 Cursor C O S S. legem ad populum tulerunt, ut nullus
 (nisi qui noxam meruisset, donec poenam lucret) in com-
 pedibus aut in neruo teneretur, neq; in posterum aliquis
 ob æs alienum neceretur, sed pecuniæ creditæ bona debi-
 toris, non corpus obnoxium esset, itaq; nexi soluti fuerunt.
 Hac lege iuri X I I. tab. & senatus consulto, quo debitores
 necti, & creditoribus tradi poterant, ob L. Papyrij scene-
 ratoris libidinem simul & crudelitatem abrogatum est.
 Iuuenem enim forma & ætate præclarum ob æs alienum
 paternum is nexum habebat, quem uerberibus lacerauit,
 propterea quod sibi posternere pudicitiam aspernabatur.
 Hac ratio fuit, quare ruptum est ingens fidei uinculum, ser-
 req; legem prædictam consules iussi fuerunt.

L Ex Valeria & Porcia. M. Valerius C O S S. legem de
 prouocatione tulit, qua eum qui prouocasset uirgis cæ-
 di, securiq; necari uctuit, si quis aduersus ea fecisset, nihil
 ultra quàm improbe factum adiecit. id ob pudorem homi-
 num (qui tunc erant) satis ualidum huiusce legis uinculum
 uisum est, nunc uix seruo suo ita minatur quisquam. Sed Por-
 cia lex deinde lata uehementior fuit, nam eum qui Roma-
 num ciuem uerberasset, necasset ue, graui poena afficie-
 bat. Hac lex Valeria tertio post Reges exactos lata est,
 semper à familia eadem. primum à P. Valerio Publicola,
 secundo à L. Valerio statim post X I I. ta. tertio à M. Vale-
 rio de quo hic loquimur. & causam huius legis renouan-
 dæ sæpius hanc fuisse Lilius lib. 10. credit, quod plus pau-
 corum opes, quàm libertas plebis poterant.

L Ex Pompeia. Cn. Pompeius Strabo Magni Pompeij
 pater, ueteribus incolis Transpadanis lege ius Latij
 dedit,

dedit, quod cætera Coloniae Latinae habebant, id est, ut pe-
tendi magistratus, et ciuitatis Romæ ius adipiscerentur.

L Ex Fabia. Fabius pœnam bis adiecit, qui non certo nu-
mero, ut ante fuerat, definiti deducerent, & sectarentur
candidatos in campum comitiorum tempore.

L Ex Annaria. Ea lex autore Festo annos finiuit, quibus
magistratus capiendi potestas sit. Venia huius legis
impetrata, Antoninus Commodus consul ante v. & x x.
annum factus est. Sed Augustus ad motis hostiliter ad ur-
bem legionibus, missisq; qui sibi nomine exercitus primum
consulatum deposcerent, ipsum consulatum uigesimo ætatis
anno contra hanc legem inuasit. nam cunctante Senatu Cor-
nelius centurio princeps legationis reiecto sagulo osten-
dens gladij capulum in curia dicere non dubitauit, hic fa-
ciet, si non feceritis uos. Scipioni autem Africano primum
ædilitatem, deinde consulatum Po. Ro. ob insignem eius uir-
tutem ante tempus legitimũ detulit. ast nostræ ætatis homi-
nes non uirtus aut doctrina, sed uis ac pecunia ingens, sce-
lus'uc ab obseruatione legis annariæ soluit, ut ante ætatem
tempus, honores, magistratus et sacerdotia capere possint.
Scipionis etiam filium Scipionem Aemylianum Romani in
primo consulatu hac lege soluerunt, ut ante annos consul
fieret. & T. Quintium Flaminium nondum x x x. annos
natum consulem cum Sexto Aelio designarunt. Marius
quoq; filius v i i. & x x. ætatis anno consulatum Sertorio
inuito contra leges occupauit. quem honorem tam inuid-
turum mater defleuit, ut e Cornelio Nepote didici. Sed &
Germanicus Cæsaris Caligulae pater, Quæsturam quin-
quennium antequam per leges liceret, & post eam statim
consulatum gessit. Didius uero Iulianus ante annum quam
legitima ætas sineret, prætor Marci suffragio fuit.

Lex Aterina. Cum ob nummorum penuriam, autore Plutarcho in vita Publicolæ mos priscus irrogandæ multæ per magistratus ouis aut bouis nomine fuisset, Lex Aterina constituit, ut ouis ære deno, bos ære centeno definiri intelligatur. & cur lata fuerit, Gell. capite primo libri undecimi ostendit.

Lex Cincia. Cincius legem tulit, ne quis ob causam orandam donum, pecuniam, uel acciperet. huius legis Q. Max. ut Cicero de senectute refert, suator fuit, & hanc legem ipse Marcus Cicero neq; dona, neq; mercedem ex patrocinijs ab ullo recipiens, diligenter obseruauit.

Lex Acilia. M. Acilius Glabrio legem de pecunijs repetundis seuerissimam tulit, qua ne comperendinari quidem reum finit. Post de eadem re Iulius legem Iuliam repetundarum tulit, quæ multa completitur capita. & ea facinorosi partim exilio, partim durius, prout admiserint, extra ordinem puniuntur.

Lex Papia. Papius C O S S. & ciuis Romanus, ne urbe Roma peregrini uterentur, lege uetuit.

Lex Latoria. Q. Latorius cum adolescentes in contractibus circumueniri solent, pœnam eorū deceptorum adiecit. Hodie prætor eis per in integrum restitutionem subuenit. Alia lege Latoria cautum est, ut si quispiam pupillorum bona diriperet, pœnas lucret acerrimas.

Lex Licinia & Mutia. Cum summa cupiditate urbis Romæ populi Italici tenerentur, & ob id magna pars eorum pro ciuibus Romanis se gereret, P. Licinius Crassus orator, & Q. Mutius Scæuola Pont. Max. orator, & iurisconsultus, sapientissimi consules legem de ciuibus regendis in eorum consulatu tulerunt, ut in suæ ciuitatis ius quisq; redigeretur.

LEx Papia. Papia lege cautum est, ut Pontificis Max. Arbitratu uirgines e populo xx. legerentur, sortitioq; in concione ex eo numero Vestalis fieret. Sed ea sortitio postea e lege Papia non necessaria uisa est, cum cuilibet honesti generis filiam ad sacerdotium P. Max. offerre permitteretur. & ideo Augusti temporibus quum in demortuæ Vestalis locum capi aliam oporteret, multiq; ambirent, ne filias in sortem darent, adiurauit ipse Augustus, si cuiquã neptium suarum competeret ætas, oblaturum se fuisse eam. Et miror quod in quinquaginta ff. libris nulla Vestalium mentio habeatur, cum sicut apud Gell. & Fenestellam legimus, prætor eas ad iusiurandum edicto suo nõ admiserit, neq; hæredes cuiquã intestato, neq; intestatis quisquã esset, sed bona earum in publicum redigerentur, ut in commentarijs Labeonis, quæ ad XII. tab. composuit, scriptum erat. Ipsæ etiam pontificibus traditæ, patris statim potestatem siue emancipatione siue capitis minutione exhibant: & uiuo etiam patre ius testamenti faciendi adipiscerbatur, ac cætera sine curatore gerebatur, ut Plutarchus in uita Num. e scribit. Plura quoq; alia antiquis legibus de Vestalibus cauebantur, quæ ex Labeonis Antistij, & Attetij Capitonis uoluminibus qui diligentissime de Vestalibus scripserunt, bonus ille Tribonianus ff. inserere debuit, quorum aliqua non ab re subiecero, utpote quia nihil eorum in ff. legimus. Inter alia minorem uirginem sex annis, maiorem decem negauerunt capi fas esse, & quæ non sit patrima, & matrima. Item quæ lingua debili, sensu ue aurium diminuta, alia ue qua corporis labe insignita sit, aut cuius parentes alter, ambo ue seruitute seruierunt, uel in negocijs sordidis diuersantur. Emancipata quoque, aut quæ emancipatum patrem habebat, licet uiuo eo in aui potestate esset,

l Vestalis

Vestalis esse non poterat. alia insuper ueteres Iureconsulti de Vestalibus scripserunt, quæ apud Gell. reperiuntur. Nostra autem ætas tantum ab hac ueterum sancta obseruatione abest, ut semper contrarium serè custodiat. nam minores sex annis, & maiores decem, item quæ non sunt matrimæ, & patrimæ capiuntur hodie, & Vestæ dedicantur. Et si sit aliqua uirgo gibbosa, aut altero oculo capta, claudicans loripes'ue, seu alia corporis deformitate laborans, quare sine magna pecuniarum summa nubere nequaquam ualeat, Deo protinus offertur & dedicatur. nec hac tempestate nisi raro inquiritur, si parentes seruierint, aut in negocijs sordidis diuersati sint, sed nobili ignobili'ue genere uirgines natæ contra quorundam cœnobiorum institutum absque discrimine capiuntur. Emancipationis autem in Vestalem capiendæ, aut patris eius, nulla fit hodie mentio.

Lex Hortensia. Q. Hortensius dictator, cum patricij plebiscitis nequaquam tenerentur, legem tulit, ut eo iure quod plebs statuisset, & patricij, & omnes Quirites tenerentur. Apud Plutarchum lege quadam fuisse prohibitum inuenio, ne dictatori equitare fas esset, tum quod maiores uires sic inesse, ac pedes manumq; sic dictatorem conserere creditum est, tum quod hoc medio in phalange Dictator permanere, & locum non deserere cogeretur, quod Cæsar strenuus obseruauit. nam ancipiti prælio equos & in primis suum dimittebat, quo maior permanendi necessitas auxilio fugæ crepto, imponeretur. Fabius tamen Dictator senatus permissione hac lege solutus, equo usus est. Sed equi loco magnis priuilegijs Romani Dictatores donarunt, & hanc legem nostro tempore hi regulariter seruant qui peditibus præsunt.

L Ex Satyra est, quæ uno rogatu multa simul & uaria comprehendit, ut uultis ne, iubetis ne ut cum Iugurtha bellum componatur, elephantos tradat oraneis, transfugas uniuersos reddat.

L Ex Scantinia. P. Scantinius legem talit, qua puerorum concubitores graui supplicio afficeretur. Varie tamen eos fuisse punitos Valerius scribit. nam Cornelius ob id delictum in carcere mori coactus est. & C. Scantinius uno teste Marcelli filio, quem solū de stupro tētauerat, damnatus est. Lectorius quoq; accusatus, quod Cornicularium stupri causa appellasset, ante iudicij tempus se fuga primum, deinde morte puniuit, nihilominus uniuersæ plebis sentētia crinine impuditiæ damnatus est. C. etiam Lucius Tribunus militum à Plotio quem stuprare uolebat, fuit occisus. Mariusq; imperator C. Lucium Nepotem iure cæsum pronunciauit. & Cornelius Gallus prætorius, Aetheriusq; Romanus eques stuprādo puerū extincti sunt, aliquotq; ciuitates cum hominibus ob id delictū perierūt. Hoc uitio Tiberius, Caligula, Nero, Traianus, & alij plures imperatores etiam laborarunt. Cæsarem uerò Curio pater in quadam oratione omnium mulierum uirum, & omnium uirorum mulierem appellauit, ut Trāquillus refert. Sed ut Claudius foeminas adamauit, ita marium expers omnino fuit. A Domitiano autem alioquin malo, quidam ex utroq; ordine hac lege Scātinia condēnati sunt. De hac re fuit postea uno capite legis Iulie de adulterijs cautum: & cum nihilominus hoc uitio laboraretur, ferre legem Alexander imperator in animo habuit, ne exoleti forent, ut Lampridius scribit. Bonus deinde Cōstantinus leges insurgere, armariq; iura gladio ultore iussit, ut exquisitis pœnis subderentur, qui rei essent huiusmodi sceleris. Mitius tamen puniri hos

homines pueris abutentes, Alexander pontifex maximus in titulo de excessibus praelatorum uoluit. nam sacerdotes hoc uitio laborantes, ut poenitentiam agerēt in cœnobium detrudi, alios homines excommunicari iussit. Et cùm Archefilaus philosophus quendam diuitem, capillum arte compositum, & oculos uoluptatis plenos habentem, castum tamen & integrum uidisset, nihil interesse dixit, quibus membris posterioribus an prioribus aliquis Cynædus existat, quod uerbum pensitent, qui tanta cura corpus exornāt, nec aliquem incomptum, suiq; negligentē irrideāt. Sed & quod Vespasianus cuidam adolescētulo sibi pro impetrata præfectura gratias agenti dixisse fertur, oculis subijciant. nam cùm is unguento flagraret, se maluisse ut allium oboleret Vespasianus dixit, & ad magistratum eundem non admisit. sed & comptos iuuenes sceminarum instar Ouidius à se procul esse deprecatur.

LEX Apuleia. Apuleius legem tulit, ut publicam maiestatem minuens, capitis poenam subiret, & circa læsam maiestatem ante Apuleiam lex XI I. tabul. & post Apuleiam lex Iulia maiestatis disposuerat, ut in titulo de lege Iulia maiestatis legitur.

LEX Calphurnia. C. Calphurnius Piso legem de ambitu suo consulatu tulit, qua præter alias poenas pecuniaria etiam poena adiecta fuit. Ambiens deinde lege Iulia de ambitu punitus est. unde qui in municipio contra hanc legem magistratum aut sacerdotium petebat, cum infamia in centum aureis per S. C. puniebatur. Et per legem Iuliam iudiciariam, aureos centum reus uel accusator domum iudicis ingressus fisco inferre iuebatur, quia & in legem ambitus committebat. Et non immerito poenam in municipio duntaxat ambientis retulit, quoniam post aduentum principum,

cipum, ut Modestinus ait, hæc lex in urbe cessauit, quia ad curam principis non populi fauorem tunc magistratuum creatio pertinuit. Aliqui tamen imperatores, ut Heliogabalus, magistratus uendiderunt. is enim tam per se quam per omnis aulicos præsertim libidinum ministros, honores, dignitatesq; & potestates uendidit. Complures nostræ tempestatis principes Heliogabalum insequuntur, nam suarum meretricum precibus, aut nummo, magistratus, & sacerdotia indoctissimo cuiq; & uirtute carenti conferunt, & tribuunt. nec Theodosij præceptum custodiunt, qui uiros non ambitione, uel pretio, sed probatæ uitæ, & disciplinarum testimonio ad honoris insignia debere promoueri dicebat. Ast nec Alexandri imperatoris dictum huiusmodi principes considerant, qui ideo se nolle dignitates & magistratus uendere prædicabat, quia qui emunt, ut uendant necesse est, & ut pecunias in emptione honoris expositas recuperent, subditos torquere & uexare hi ementes magistratus coguntur.

L Ex Fannia. Cum Respublica è luxuria conuiuiorum maiora quam credi poterat, detrimenta pateretur, bonorum consilio & sententia legem Fanniam C. O. S. S. tulerunt, quæ ludis Romanis, item ludis plebeijs, & Saturnalibus, & alijs quibusdã diebus in singulos dies centenos æris cõsumi concessit, decem uerò alijs diebus, in singulis mensibus tricenos. cæteris autẽ omnibus diebus denos. Et lata est secundum Macrobij opinionẽ Fannia lex, anno post Romã cõditam quingentesimo octogesimooctauo, & post annum uigesimum secundum legis Orchie, quæ numerũ tantummodo cœnatiũ cohibebat, ut statim in plebiscitis dicemus. licebatq; secundum eam unicuiq; bona sua inter paucos consumere. Fannia uerò sumptum cohibebat.

L Ex Didia. Fanniam legem post duodeuiginti annos Di-
dia lex consecuta est. qua cautum fuit, ut uniuersa Ita-
lia, non sola urbs lege sumptuaria teneretur. unde hac lege
Italicis qui Fanniam solos ciueis urbanos comprehendere
æstimabāt, dubitatio sublata est. Insuper eadem cautum est,
ut non soli pœna legis tenerentur qui prandia maiore sum-
ptu fecissent, sed etiam qui ad ea uocati essent, atque om-
nino interfuissent.

L Ex Licinia. P. Licinius C O S S. diues legem post Di-
liam tulit, ut calendis, nonis, nundinis Roma. cuiq; in
dies singulos x x x. duntaxat asses edundi causa consume-
re liceret, nuptijs ducentos indulsit. Cæteris uerò diebus,
qui excepti non essent, statuit ne amplius apponeretur, quã
carnis aridæ pondo tria, & fassamentorum pondo libra,
quod è terra, uite, arbore uel natum sit. In hac lege ferenda
probandaq; tantum ab optimatibus impẽsum est studium,
quod consulto senatus mandatum est, ut lege tantummodo
promulgata, prius quàm trinundino confirmaretur, ab o-
mnibus ita obseruaretur, ac si iam populi sententia compro-
bata fuisset. Imperatum est etiam ut patentibus ianuis, &
in propatulo pranderetur & cœnaretur, ut sic oculis ciuũ
testibus factis, luxuriæ modus autore Macrobio lib. Satur-
nal. 3. fieret. Valerius tamen lib. 2. istud antiquorum huma-
nitati & continentie ascribit, cum nullas haberent epulas,
quas populi oculis subijcere erubescerët. erāt enim, inquit,
adeo continentie attenti, ut frequentius pulte quàm pane
uterentur. Postea cum istis legibus situ atq; senio oblitera-
tis pleriq; familiam & pecuniam suam prandiorum gurgi-
tibus proluisissent, L. Sylla Dictator legem ad populum tu-
lit, ut calendis, Idibus, nonisq; diebusq; ludorum, & ferijs
quibusdam solennibus sestertios tricenos in cœnam con-
sumere

sumere ius potestasq; esset, cæteris uerò diebus omnibus non amplius quàm ternos, suæ legis tamen modum Sylla interdum excessit. Acmylia quoq; lege ab Acmylio Scauro consule lata non sumptus cœnarum, sed ciborum genus & modus præfinitus fuit. Lex deinde Antia præter sumptum æris id etiam sanxit, ut qui magistratus esset, magistratum uel capturus esset, ne quò ad cœnam nisi ad certas personas itaret. Vtinam hanc legem iudices nostri obseruarent, qui apud quoscunq; comedunt, & ideo interdum sententias uendunt, & perperam iudicant. Postremo lex Iulia ad populũ peruenit, Cæsare Augusto imperante, qua profestis quidem diebus ducenti finiuntur, Calendis, Idibus, Nonis & alijs quibusdam festiuis trecenti, nuptijs autem & repotijs HS. milies esse. Quinimmo Augustus seu Tiberius Cæsar, uter fuerit incertum est, edicto permisit, ut per uarias dierum solënitates à CCC. HS. usque ad duo milia sumptus cœnarum propagaretur, ut his saltem finibus luxuriæ effruescentis æstus coërceretur. Senatus quoq; decretum uetus apud Gell. de parsimonia inuenies ex Capitonis Atteij Iureconsulti cõmentarijs. Ammianus Marcell. scribit, sumptuarias leges è Rhetris Lycurgi, id est Axonibus Romã translatas diu obseruatas fuisse, deinde eas paulatim senescentes Syllã Dictatorẽ reparasse, cum ex dictis Democriti reputaret, quod ambitiosam mēsã fortuna partẽ uictus apponit, & quod secundũ Catonẽ Censoriũ magna cura cibi, magna uirtutis incuria esset. Has de sumptibus leges retuli, ut scirët nostræ ætatis homines priscos leges uanamquãq; uirtutẽ tulisse, maxime in secũda & tertia Reip. specie. Has enim sanctiones ad tẽperantiæ custodiã excogitarũt, ut parsimonia, uictus atq; cœnarũ tenuitas nõ domestica solum obseruatione ac disciplina, sed publica animad-

uersione, legumq; complurium sanctionibus custodiretur. Sed prohdolor dissuetudine obliterated sunt. hinc est quod rustici nostrates centum dotis nomine recipientes, supra mediam dotis partem in nuptijs conuiuando consumunt, quod non fieret, si praedictae leges nunc seruarentur. Solent tamen praesides & magistratus, ut scribit Vlpianus, bonis interdicere e lege x i 1. tab. prodigis curatores dando, qui neq; tempus, nec finem expensarum habent, sed bona sua dilacerando & dissipando profundunt.

LEges Corneliae. Cornelius consul legem tulit, ne quis Legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret, quoniam pecunia eis mutuo data, usura, turpiaq; & famosa ex eo lucra fiebant. Idem & aliam legem Ciceronis tempore tulit, ut Asconio placet, ne quis in senatu legibus solueretur, nisi senatores ducenti adfuisent, neu quis cum absolutus esset, cum ea de re ad populum ferretur, intercederet. alij tamen in rebus exemplum pertinētibus centum senatores, sed non pauciores Senatusconsultum facere poterāt, ut e Liuiio lib. i x. bel. Maced. de Bacchanalibus loquente intelligere licet. Tertiam legem Cornelius tulit, ut praetores aedictis suis perpetuis ius dicerent. Fuit insuper quaedam lex Cornelia quae Iuliano autore de testamentis, perinde eorum qui hostium potestate decesserunt, testamenta confirmat, ac si hi qui ea fecissent in hostium potestatem non peruenissent, & haereditas ex his eodem modo ad unumquemque pertinet.

LEges Cassiae. Cassius Longinus L. filius legem C. Mario, & C. Flacco cons. tulit, qua populus per tabellam suffragiū ferret. haec fuit una e quatuor tabellarijs legibus, quas Cicero de legibus refert. Idem alterā legē ad minuen-
dam nobilitatis potentiā tulit, ut ille quē populus damnaf-
set,

set, cui ue imperium abrogasset, in senatu non esset.

L Ex Cornelia. Cornelius legem in eum tulit, qui sciens dolo malo testamentum, uel alias tabulas falsas scripserit, signauerit, recitauerit, subiccerit, qui ue signum adulterinum fecerit, sculpsit, expresserit, & ob testimonia falsa pecuniam acceperit, seruos quidem ultimo supplicio, liberos autem deportatione omnium quoque bonorum publicatione affecit. Sed lege x i i. tab. qui falsum testimonium dixisse conuictus erat, è saxo Tarpeio deijciebatur, ut Gell. lib. x x. retulit, quæ pœna in omni crimine perijt. nemo enim sic hodie damnari potest, autore Modest. de pœnis, ut de saxo præcipitur. Est altera lex Corne. de sicca. quæ homicidas ultore ferro persequitur, ut eos qui hominis occidendi caussa cum telo ambulant, continet & alia capita, ut è ff. apparet.

L Ex Pueritia. Cum Sylla ad diminuendam plebis potentiam multos ei magistratus ademisset, Aurelius Cotta prætor eo tempore quo Verres à Cice. accusatus est, legem tulit, ut plebi interceptos magistratus reassumere liceret, & communicata per eam sunt iudicia senatui, equitibus Romanis, & Tribu. ærarijs, ut ex his tribus ordinibus iudices lecti res iudicarent, unde & lex iudiciaria dicta est. Cæsar postmodum ad duo genera iudicum equestris ordinis, ac senatorij iudicia redegit, & tribunos ærarios, quod erat tertium genus, sustulit.

L Ex Roscia. L. Roscius Otho C O S S. legem tulit, ut in theatro equitibus Romanis equites x x i i i i. spectandi gratia darètur, quod plebi displicuit, nam se per hanc legem ignominia affici existimauit, cum hætenus in theatris equites plebi commixti ludos spectassent, quare tantisper aduersus Othonem in spectaculum prodeuntem equitibus

Leto plausu eum suscipientibus plebs contumeliose sibila dedit, cum Marcus Cicero C O S. hanc plebis insolentiam in fano Bellonæ increpauerit.

Leges Pompeiæ. Cn. Pompeius Magnus legem tulit, ut **Q**uestor ex his qui consules fuerant, suffragio populi crearetur. Alteram de iure magistratuum renouauit, ne absentis ratio in comitijs haberetur, & ut à petitione honorum absentes summouerentur. Marij tamen absentis ratio habita est, nam populus eum absentem propter Cimbroſ & Theutones secundo consulem designauit. Et Lucullus sua in Marcum fratrem humanitate usque adeo populi gratiam tenuit, ut cum eo absens ædilis declaratus fuerit. Propter hanc legem Marcellus consul ad senatum retulit, ne absenti Cæsari petitiſo secundi consulatus daretur, quoniam plebiscito, quo ei petitiſo data fuerat, Pompeius hac lege postea generaliter lata abrogauerat. Aliam legem idem Pompeius tulit, ut si quis parentis, aut filij fata clam, palam uel præparauerit, insutus culeo cum cane, gallo gallinaceo, uipera, & simia in mare proximum, uel in amnem proieceretur, ut inter ferales angustias comprehensus omnium elementorum usu uiuus carere incipiat, & ei cælum superstiti, terra mortuo auferatur. hac poena tamen non nisi confessi afficiebantur, ut Suetō. in uita Augusti scribit. alios autem necans cognatione & affinitate attingentes poenam legis Corneliæ de sicarijs sustinet. Hoc supplicij genere M. Tullium diuum uirum Tarquinius rex primum condemnauit, propterea quod librum secreta ciuiliū sacrorum continentem suæ commissum custodiæ corruptus Petronio scribendum dedisset, quod iustissime postea anno sexcentesimo ab urbe condita lege Pompeia parricidis irrogatum est, quia ut Valeri. lib. 1. assueuerat, pari uindicta
p aren

parentum ac deorum uiolatio expianda est. & ut aiunt, P. Malleolus hanc poenam primus omnium parricidarum sustinuit, eo quod matrem occidisset. Iuuenalis quoq; sententia ob matrem & affines occisos Nero hoc supplicij genere, uerum non una duntaxat parata simia, aut uno serpente, aut uno culeo, sed pluribus paratis affici debuit.

Lex Iulia. C. Iulius Cæsar lege sanxit, ne adulteri forent, sed deprehensi ut supplicio dederentur. Vlpianus tamen de adulterijs à diuo Augusto hanc legem fuisse latam scribit, cui Tranquillus in uita Augusti astipulatur. Hæc lex plura habet capita, ut sub titulo ad legē Iuliam de adulterijs Iurisconsulti docent, & Gell. lib. 2. ca. 15. uerba 7. capituli legis Iuliæ refert. Et cum Romæ Iuuenalis temporibus magna adulterarum multitudo foret, & quidam ubi tunc lex Iulia dormiret, clamando pēteret & conquereretur, Lauronia pro defensione mulierum ante alias omnes in uiros legem Scantiniam debere citari dixit.

Lex Papiæ Pompeiæ. Sub Octauiano Cæsare Papius & Pompeius suffecti consules legem tulerunt, quæ à nominibus eorum Papiæ & Pompeiæ appellatur. & patrum præmia pro suscipiendis liberis continet, Multa hæc legem capita habuisse legimus, ut circa caducorū obseruationem, & de iure quod in bonis libertorum patroni habent, & ne inter senatores & libertas matrimonia fierent. Tiberius quoque Cæsar nouum caput legis Papiæ edidit, si Tranquillo in uita Claudij credimus, ne sexagenarij uxorem ducerent, quasi generare non possent. cui Claudius primum, deinde Iustinianus abrogarunt, cum post id tempus generare possit aliquis. Aliquæ è relatis legibus uetustate atq; incuria in totum euanuerunt, quarum & si iam nullus est usus, notitia tamen necessaria uidebatur, quo facilius & clarius

clarius ueterum oratorum atque historicorum, ipsorum quoque iureconsult. scripta locis suis comprehendantur. Et quidem lex Licinia, & Fannia, aliæq; leges sumptuariæ iam temporibus Cæcilij Iurisconsulti oblitteratæ erant, ut idem apud Gell. lib. 20. testatur. Aliquæ in novos legumlatores transitum fecerunt. nam ut Macrobius lib. Saturnalium tertio scribit, pereuntibus uetustate legibus, solo legislatoris mutato nomine, iterum latæ in eandem sententiam fuerunt, sic euenisse in xii. tab. legibus dicit, quæ à x. uiris in novos transferunt legumlatores. Sic itaq; è relatis legibus per pauca admodum in usu remanserunt. Sunt præterea complures aliæ leges, ut lex Iulia de ui publica, & de ui priuata, quarum hæc uim sine armis committentes tertia parte bonorum punit, & illa in ui armata deprehensos deportat. Item Iulia de annona poenam aduersus eum statuit, qui ut annona carior esset, aliquid fecerit, & Iulia peculatus reo aqua & igni interdicit. Sed M. Cato in quadam oratione illustribus uerbis de impunitate peculatus atq; licentia conqueritur, dum fures priuatorum furtorum in compedibus, & fures publicos in auro atq; purpura etatem agere dicit. Has leges ultimas consulto perstringimus, eo quod iurisperiti illas diligenter commemorant.

PLEBISCITA.

Iisdem ferè temporibus, uel paulopost quàm leges xii. tabu. conscriptæ fuerunt, plebs cum patribus in discordiam perueniēs anno sexagesimo post libertatem inceptam rursum secessit, & ex Algido monte, & Sabinis, ubi tunc belli gerendi caussa legiones erant, in montem profecta est Auentinum, mox in Sacrum montem ex Auentino secundum Liuium transiit, omnisq; plebs urbana eodem se contulit. Autor autem & initium huius secessionis Virginius tradi

traditur, contumelia ab Appio Claudio affectus, qui x. uir
 iterum legibus scribendis creatus, filiam huius uirginem
 ingenuam per uim libidinis gratia in seruitutem asserere
 conabatur, ob quam rem Virginius pater filiam interfecit,
 & raptim ad commalitoneſ confugit, eosq; ac plebem
 urbanam ut à patribus secederent, commouit. Mox tamen
 sublata x. uirorum potestate, plebs in urbem rediens pa-
 tribus reconciliata fuit. Sed in seceſſione post reuocatio-
 nem quoque ipsa plebs sicuti ante x. uirorum creationem
 solebat iura, rogante plebeio magistratu ueluti Tribuno,
 sibi constituit, quæ legibus x. i. tabu. etiam derogarunt,
 aut eas dilatarunt. Hæc autem iura Plebiscita uocantur,
 quod e Capitonis uerbis intelligere promptum est dicen-
 tis apud Gell. lib. 10. Plebiscitum esse generale iussum ple-
 bis rogante magistratu, qui tamen legem unà & plebiscit-
 um diffinit. Huius etiam caput & origo, & quasi fons
 rogatio est, ut paulo ante diximus. nam nisi plebs rogatur,
 nullum plebis iussum fieri potest. quod Vlpia. lib. 9. ff. de
 lege Aquilia ostendit, quæ secundum eum omnibus legi-
 bus, quæ ante de damno iniuriæ locutæ sunt, derogauit,
 siue x. i. tabu. siue alia qua fuit, & Plebiscitum est, cum
 eam Aquilius plebis tribunus à plebe rogauerit. Lilius
 quoque lib. 6. secundi belli punici Attilium tribunum ple-
 bis legem rogasse scribit, quid fieri uellet de his rebus
 quas Campani, Attellani, Calatini, Sabbatini in arbitrium,
 deditionemq; Pop. Rom. dediderant. Paulus etiam id libro.
 quinto & trigesimo ostendit, duo capita Falcidiæ legis
 ad uerbum referens, quæ utroque capite secundum eum
 rogata fuit, & liberam legandi facultatem ciuibus Roma-
 nis usque ad dodrantem dedit, id est, ita demum ualere le-
 gata uoluit, si hæredes non minus quam partem quartam
 hæredi

*Iura ple-
 bis ro.*

hereditatis ex testamento caperent. Et hac plebis lege angustata fuit una lex x i i. tab. quam sic scriptam fuisse Pomponius de uerbo. signific. dicit. Vti quis legasset, ita suae rei ius esto. quibus uerbis latissima legandi potestas tributa uidebatur, sed hanc legandi facultatem ad dodrantem usque Falcidia restrinxit. Et Iunia lege tribunus ad plebem rogandam plebeius tantum in principio esse poterat, sed postea alia lege lata, & patricij plebis tribuni creati coeperunt. unde Duronium patricium M. Antonius, & L. Flaccus censors senatu mouerunt, quod legem de coercendis conuiuorum sumptibus latam tribunus plebis abrogauerat, ut apud Valerium legimus. Designato quoque Dictatore omnes magistratus, excepto tribunatu, suam autoritatem amittebant, ut Plutarchus ait, & ideo cum Fabius dictator in Minutium magistrum equitum, qui iniussu suo cum parte exercitus Hannibalis pugnauerat, animaduertere uellet, Metellus tri. ple. commoto oratione populo Minutium non modo defendit, sed etiam Fabij collegam eum fieri curauit, licet alij timore affecti silentium agerent. Plebiscitis in initio patricij nequaquam tenebantur, donec ut Gell. lib. 15. refert, O. Hortensius dictator eam legem tulerit, ut eo iure quod plebs statuisset omnes Quirites tenerentur, quam post reuocationem plebis extincta x. uirorum potestate fuisse latam Pomponius scribit, eo quod multae de his plebiscitis discordiae nascerentur. Et ita inter legem & plebiscita discrimen in constituendi specie tantum, non in potestate fuit, unde quia eadem plebisciti & legis potestas fuit, his nominibus autores boni, ut lib. 10. Gell. asserit, promiscue usi sunt. inuenimus tamen trib. plebis potestatem à Sylla dictatore fuisse minutam, qui & omne ius legum ferendarum eis ademit, sed potestas illa tribunitia tandem

Cesa

dictatu
ra.

5. 155.

Cesaris auxilio restituta est. Ius quoque tribunitiæ potestatis fortius ad impediendum quam ad agendum erat, nam ut Plutarchus scribit, cæteris omnibus collegis uolentibus unus tribunus nolens, & se opponens plus poterat, & præferbatur. proinde Cato iunior tribunatum aliquando petijt, ut solus Metelli & aliorum tribunorum conatus contra Rempublicam impediret, & refringeret. Leges itaque plebis, siue plebiscita post x i i. tabu. lata, quæ ueteres scriptores crebrius commemorant, è Lilio, Macrobio lib. Saturna. 3. Plutarcho, Pomponioq; Læto, & alijs nunc referre existimaui, propterea quod secundam ciuilibus disciplinæ speciem faciunt, & pauca admodum plebis leges apud Iurisconsultos legantur.

proposito.

L Ex Icilia & Duillia. Paulopost quam x. uiri se magistratu abdicassent, plebs x. tribunos creauit, è quibus Icilius extemplo plebem rogauit, & plebs sciuit, ne cui secessio à x. uiris facta fraudi esset. Et de COSS. creandis cum prouocatione M. Duillius rogationem pertulit. hic L. Valerius, & M. Hora. creati fuerunt COSS. deinde idem M. Duillius trib. pleb. legem tulit, ut qui plebem sine tribunis reliquisset, quiq; magistratum sine prouocatione creasset, tergo ac capite puniretur. Et cum triumphus æstimatio arbitriumq; semper penes senatum fuisset, ingentiq; consensu patrum triumphus COSS. negaretur, Icilius trib. pleb. de triumpho consulum pro quadam uictoria rogationem ad populum tulit, & populus eam accepit. tuncq; primum sine autoritate Senatus populi iussu triumphatum est, & ita uetus obseruatio ut alia quedam imminuta est. Sic in dictatura cuenit, quæ prius patricijs dabatur, post etiam ad plebem deuenit, primusq; de plebe dictator aduersus Tarquinienses & Faliscos C. Martius Rutilus dictus est, qui

qui etiam uictis hostibus sine autoritate patrum populi iussu triumphauit. Magister quoq; equitum e patricijs in initio creabatur, postmodum ad huc honorem plebs admissa est, & Licinius Stolo primus e plebe Magister equitum factus est. alij C. Plautium a M. Rutilio primum e plebe ad hunc honorem fuisse admissum tradunt.

L Ex Canuleia. C. Canuleius trib. pleb. legē tulit, ut connubium plebi cum patribus esset. & hoc plebiscito abrogatum est ius x i i. tabu. quo contrarium cauebatur, ne connubium patribus cum plebe esset, sed cum magna contentione patriciorum & plebis istud finem accepit. Et cum alij nouem plebis tribuni rogationem promulgassent, ut populo potestas esset C O S S. faciendi seu de plebe seu de patribus uellet, summaq; ui post uictoriam a Canuleio de patribus habitam, pro sua rogatione pugnarent, ut sedarentur, eò deducta res est, ut tribuni militum consulari potestate promiscue ex patribus ac plebe crearētur, de C O S. creandis nihil immutaretur. quare anno c c c x. quā uirbs Romana condita erat, primum trib. milit. creati sequentes patricij A. Sempronius, L. Attilius, T. Cæcilius magistratum, secundum Liut. pro C O S. inierunt. & creati fuerunt sepius trib. milit. pro consulari potestate, uarioq; numero, interdum seni autore Pomponio fuerunt, aliquando plures, nonnunquam pauciores.

L Ex Licinia. C. Licinius Stolo trib. pleb. cum collega legem tulit, ne quis plus quinquaginta agri iugera possideret. Alteram idem Licinius tulit, ne tribunorum militum comitia fierent, & ut alter consul e plebe crearetur. Hæc lex cum patribus displiceret hac conditione eam accipere contenti fuerunt, si a plebe nobilitati prætor, qui ius in urbe diceret, e patribus creandus concederetur, quod factum est,

est, primusq; C O S. è plebe Licinius siue Sextius eius collega factus est. Patres autem præturam SP. Furio M. filio Camillo dederunt. Sed huic legi post nonum annum creatis duobus patricijs C O S S. C. Potito, & M. Valerio abrogatum est. post id tempus per uices seruata, & abrogata fuit, ut apud Liuium inuenio. Lex quoq; de ambitu auctoribus patribus à C. Petilio trib. pleb. primum C. Fabio & C. Plautio C O S S. lata est, qua lege nouorum maxime hominum ambitio, qui mundinas & conciliabula obire solebant, compressa est. Fuit tandem de eadem re lex Iulia lata.

Lex Genutia. apud quosdam Liuius inuenit, L. Genu-
tium trib. pleb. ne foenerare liceret, tulisse ad popu-
lum. Item fuisse alijs plebiscitis cautum, ne quis eundem
magistratum intra x. annos caperet, nec duos magistratus
uno anno gereret, & ut ambos C O S S. plebeios creari li-
ceret. Secunda ex his constitutionibus unam x i i. tabu. le-
gem renouauit, qua ut post Ciceronem supra retulimus,
idem cauebatur. Sed inuocatio usque adeo non ualuit quin
interdum necessario, sepius absq; caussa, & ui aliquando
hæc lex abrogaretur. Marius enim ut Cimbro & Theu-
tonas debellaret, quinq; consulatus continuos gessit, cum
alius ad id bellum conficiendum magis idoneus non inueni-
retur. Et C. Licinius Stolo, & L. Sextius decimum tribuni,
ut pro legibus à se latis contra patres pugnarent, resecti
sunt. Cæsar uerò continuum consulatum, perpetuam dicta-
turam, præfecturamq; morum arripuit. & Augustus tri-
bunitiam potestatem perpetuam recepit. Sylla etiam ad
centum & uiginti annos dictaturam sumpsit, eam tamen
republicæ ordinata deposuit. Sic de Caio Graccho legimus, cui
secundum tribunatum absq; temporis intercapedine plebs
Romana contulit. Cumq; uicio ducum bellum Numanti-

num non sine publico pudore duraret, Scipionem Aemylianum Pauli filium hac lege necessario Romani soluerunt, ut ad Numantiam debellandam secundum habere consulatum intra x. annos possset.

L Ex Attilia. L. Attilius, & Claudius Martius tri. pleb. rogationem tulerunt, ut tribuni militum senidemi in quatuor legiones à populo crearentur, quæ antea (per quam paucis suffragio populi relictis locis) dictatorum & consulum ferme beneficia fuerant. Eodem Anno M. Decius trib. pleb. alterum plebiscitum tulit, ut duumuiros naualis classis ordinandæ, reficiendæq; causa populus iuberet. quod autem primum plebiscitum ut aliquot tribuni militum suffragio populi crearentur à Romanis neglectum non fuerit, in Catone, Iulio, & alijs ostenditur, qui suffragio populi militum tribuni fuerunt.

L Ex Claudia. Q. Claudius trib. pleb. uno patrum adiuvante C. Flaminio, legem aduersus senatum tulit, ne Senator, qui ue senatoris pater fuisset maritimam nauim, quæ plus quàm trecentarum amphorarum esset, haberet. id satis esse ad fructus ex agris uectandos creditum est, nam quæstus omnis patribus uisus est indecorus.

L Ex Voconia. Voconius legem tulit, ne quis census, hoc est pecuniosus heredem unicam filiam relinqueret. Erat autem census ille, qui centum milia sestertium in professione detulisset. sed hoc plebiscitum ut Cæcilius apud Gell. lib. 20. refert, in usu esse desijt. Q. Volumnius Saxa trib. pleb. legem etiam tulit, ne quis heredem mulierem institueret, & M. Cato leges istas oratione luculenta suasisit. Sed sicut hi tribuni plebis mulierum successionem diminuerunt, ita sacratissimus imperator Iustinianus eas auxit. nam maribus foeminas in successione ab intestato æquauit, & max

et maximum reputauit uitium discrimen inter mares et foeminas etiam testamento inducere.

L Ex Oppia. M. Oppius, et T. Romuleius tri. ple. legem Q. Fabio, T. Sempronio C O S S. in medio ardore belli punici tulerunt, ne qua mulier ueste uarij coloris uteretur, nec plus semuncia auri haberet, nec iuncto uehiculo in urbe oppido ue, aut propius inde mille passus, nisi sacrificij publici gratia ueheretur. neu superfluo ornatu uteretur, aut plus uncia in auribus appenderet. fuit tandem haec lex post x. annos quam lata fuerat, à tribunis abrogata. M. tamen Porcius Cato alter C O S. luculentissimam orationem pro Oppia lege habuit, sed non obtinuit quin magno uirorum detrimento abrogaretur. nam inde usq; adeo foeminarum luxuria processit et aucta est, quod bona uiri quantuncunq; diuitis superfluo earum ornatui non sufficiant. unde mariti rapere, furari, et inique acquirere coguntur, ut effrenatae mulierum libidini obsequantur, quod non euenisset, si in ipso introitu ruenti luxuriae obstitissent.

*Mulierum
uestis et
luxus.*

L Ex Plotia. M. Plotius Syllanus cum esset trib. ple. C. Pompeio Strabone, et L. Porcio Catone C O S S. legem tulit, ut tribus singulae quinos denos qui eo anno iudicaret ex eo numero suffragio crearent, ex quo factum est ut Senatores quoq; et quidam etiam ex ipsa plebe in eo numero essent suffragio.

L Ex Orchia. C. Orchius trib. pleb. tertio anno quam Cato censor fuerat, de senatus sententia legem tulit, quae numerum conuiuiarum praescribat fieri, et ut patentibus ianuis cenaretur secundum Blondum iuebat, quo eius obseruatio uideri posset, ne plures quam praescripto eius cauebatur, ad cenam uocarentur.

Conuiuia.

L Ex Horatia. Cum C. Tarratia Vestalis campo Tyberino siue Martio Po. Ro. donasset. Horatius munificentiae & beneficij gratia legem ad populum tulit, ut una omnium foeminarum testabilis esset. & si x l. annos nata sacerdotio abire & nubere uoluisset, ut exaugurandi atq; nubendi ius potestatemq; haberet. Hac lege Tarratiae Vestali ius dicendi in testamento testimonij non in alijs rebus ultra alias mulieres datum est. nam testimonium dicere mulier in testamento non potest. Alias autem posse testem esse mulierem argumento est secundum Paul. & Vlp. lex Iulia de adulterijs, quae adulterij tantum damnatam testem producit, uel dicere testimonium uetat. Porro quod x l. aetatis anno abire sacerdotio, & nubere possit, priuilegium non est, quoniam inter sextum & decimum aetatis omnes Vestales capiebantur, & ex Numae Pompilij instituto triginta annis castitatem seruabant, & penes Vestae sacra uersabantur. Illis deinde post id tempus sacerdotio relicto nubere permittebatur, quare apparet populum Ro. Tarratiae dedisse quod iure communi omnium ei competeat.

L Ex Atinia. Lege Atinia fuisse dispositum comperimus, ut eius rei quae subrepta erit, aeterna esset auctoritas, nisi in potestatem eius cui subrepta fuerit reuerteretur. Hac lege ut Paulus & Iustinianus referunt, furtiuae res usucapi prohibentur, nisi in domini potestatem reuerse fuerint. Sed qualiter hoc casu res in potestatem domini redire dicatur, Paulus Labeonis, Pomponijq; auctoritate primo & quadragesimo. ff. lib. enarrat, quod prolixitatis cuiusdam gratia non refero, praesertim quia omnes etiam iuris penitus inscij nostras Pandectas comparant & emunt. recte quidem meo iudicio, cum summo opere latinas literas habere cupientibus suffragari possint. Sed Gell. patrem Q. Scaeuole,

Scæuole, Brutumq; & Manilium uiros eruditos quesisse atq; dubitasse refert, quia hæc legis uerba, subrepta erit, tam præteritum quam futurum tempus ostendere uidentur, utrum ne in post facta, an etiam in ante facta furta lex ualeat. Quorum dubitationem hac P. Nigidij regula idem Gell. tollit, ut uerbum est, & erit, per se posita tempus suum habeant, & retineant, ac præterito iuncta uim sui temporis amittant, & in præteritum trahantur. nam si dico in campo est, uel in campo erit, secundum Nigidij regulam tempus instans, & futurum significo. at cum dicitur, factum est, uel scriptum erit, hæc uerba cum præterito confunduntur, & præsentis aut futuri tantum temporis esse desinunt. Itaq; inquit Gell. si hæc duo uerba, subrepta erit, sic diuidantur, subrepta, & erit, tunc lex in futuro furto loqui uidebitur. si uerò permista sint hæc duo uocabula, ut subrepta erit, unum uerbum sit, non minus in præteritum quam in futurum tempus hæc lex trahitur. Hanc sequi sententiam Pompo. de uerb. & rerum signi. uidetur, quum uerbum est, & erit, interdum etiam præteritum, nec solum præsens, uel futurum tempus demonstrare dicit. quod comprobatur si quis, Troia capta est, dixerit, non enim ad præsentis facti demonstrationem, sed ad præteritum is sermo refertur. Pariter si quis codicillos fecerit, deinde his uerbis eos testamento confirmauerit, quod in codicillis scriptum erit, seruari uolo, de præteritis non futuris codicillis eum sensisse credendum est. Hæc lex & huius similes, quicquid post Nigidium Gell. dixerit, in tempus duntaxat futurum trahuntur. cum pontificum atq; imperatorum præceptis leges, & constitutiones quibuscunq; uerbis concepta futuris dent formam negocijs, non ad præterita facta, nisi cautum sit nominatim, reuocentur. cumq; Theodosij, & Valentiniani

αξιωμα.

sanctione leges uerbis etiam præteriti temporis, præsentis aut futuri conceptæ, semper pro uiridi obseruantia ualeant. Ante legem tamen Attiniam furtiuarum rerum usucapionem lex XII. tab. inhibuit. usucapionem quoq; quæ seruitutem constituabat, Lex Scribonia sustulit, non autem eam quæ sublata seruitute libertatem præstat. sed & ui possessorum rerum lex Iulia, & Plautia usucapionem tollunt, ut è iure ciuili magis apparet.

GRacchorum leges. Vt intelligi possit, quæ res Gracchum ferre legem Agrariam mouerit, non absolum uidebitur si hanc rem post Plutar. & Appianum altius repetierimus. Romani quando uicinis agri aliquid hostibus adimebant, partim uendere, partim in publicum redigere, ac egenis ciuibus pro modica pensione tradere consueuerunt. Deinde quia diuites eas pensiones augere, & pauperes excludere incipiebant, lata est lex, quæ supra quingenta agri iugera ciuem Romanum habere prohibebat, & centum maiorum armentorum capita, minorum duntaxat quingenta obtinere permittebat. Sed hæc lex paulò post neglecta fuit. Quare consilio Crassi Pont. Max. & Mutij Scæuolæ consulis & iureconsulti. Appijque Claudij soceri legem denuo Tiberius Gracchus trib. pleb. post longas altercationes tulit, ut nemini ultra quingenta telluris iugera habere liceret, & ut agros contra legem tenentes cum fructibus eos accepto pretio dimitterent, & egenis ciuibus traderent. Ad reliquos uerò agros diuidendos, qui in publicum redigebantur, ut tres uiri præstantes crearentur, qui per singulos annos immutati eos pauperibus impenderent, quod factum est. nam Tiberius ipse, Appius socer, & Caius Tiberij frater ad agros diuidendos lecti fuerunt. Sed Tiberius ob hanc legem diuitibus infestus, cum sibi tribu-

natum

DE LL Agrarijs.

natum prorogare uellet, opera Scipionis Nasicae occisus est, post cuius mortem ut gementis plebis dolor leniretur, Senatus diuisionem agrorum impugnare destitit, & loco Tiberij ad agros diuidendos P. Crassum Gracchorum affinem eligi permisit. Longe post Ca. Gracchus Tiberij frater Tribunatum obtinuit, & leges sequentes tulit. Vt qui magistratu per populum remotus esset, facultatem alterius magistratus ineundi non haberet. Et si in magistratu constitutus ciuem Romanum sine iudicio necasset, ut in eum populi animaduersio foret. Præterea aduersus potentiam senatus leges populares tulit, ueluti de colonijs deducendis. de uestibus sine stipendiorum diminutione publice militibus dandis. de minoribus decem & septem annis ad militiam non cogendis. Lege etiam pares in suffragijs Italos & ciues constituit. Frumentariam quoq; legem de annonâ pauperibus assignanda, & aliam de iudicibus eligendis tulit. nam cum soli antea senatores iudicarent, ob eamq; rem à plebe timerentur, trecentos ex equestri ordine iudices parem Senatoribus numerum statuens adiecit. Denuum cum Opimius C O S. nullas ex ipsius Caij legibus abrogaret, contracta multitudine ut resisteret, primo in Capitolium uenit, mox Attilio præcone Opimij ibi in turba occiso Auentinum occupauit, ubi ab Opimio uictus in sacrum deorum nemus peruenit, ibiq; manu Philocratis serui occisus est. Ab hoc tempore lex agraria per singulos ferè annos tribunitijs furoribus, & summis contentionibus agitata tantisper patres & plebem assidue collisit, dum per Ciceronis consulis prudentiam & eloquentiam facile sopita fuerit.

L Ex Helia & Fusia. Helius & Fusius tribuni plebis sua auctoritate legem tulerunt ne quis per eos dies, quibus

cum populo agi liceret, nisi de cælo seruasset, quippiam ageret. hæc sanctio unam x i i. tabu. legem innouauit, per quam supra retulimus.

L Ex Clodia. P. Clodius plebis tribunus legem perniciosam L. Pisone, & Gabinio C O S S. tulit, nequis per eos dies quibus cum populo agi liceret, id est populus quid rogari posset, de cælo contra legem Fusiam & Heliam seruaret. Clodius idem alteram legem de annonâ tulit, ut frumentum quod antea senis denarijs, ac trientibus in singulos modios populo dabatur, gratis daretur. Tertiam idem tulit ne quem Censores in senatu legendo præterirent, ne ue qua ignominia afficerent, nisi apud eos accusatus, & utriusque censoris sententia damnatus esset.

L Eges triumphandi. Vt quibusdam imperatoribus occurreretur, qui ob leuia prælia sibi decerni triumphos desiderabant, Valerius Maximus lib. 2. de iure triumphandi, lege cautum fuisse scribit, ne quis imperator triumpharet, nisi quinque millia hostium una acie cæcidisset. Non enim numero, sed gloria triumphorum excelsius urbis Romæ futurum decus Romani existimabant. Cæterum ne tam clara lex prædicta cupiditate laureæ obliteraretur, adiutorio plebisciti L. Mario, & M. Catone tribunis plebis lata est, quod poenam imperatoribus minabatur, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum ciuium falsum numerum literis senatui ausi essent referre, & iubebat eos urbem ingressos protinus apud Quæstores urbanos iurare se uera ad senatum de utroque numero scripsisse. Alia lex triumphandi erat, qua pro aucto imperio, non pro recuperatis quæ reipublicæ aliquando fuissent, triumphus decernebatur. Sed & parte ciuitatis lacrymante, & de ciuili bello decernere supplicationes, ouare, uel triumphare nefas

nefas erat. unde Q. Ful. L. Opinio triumphus minime decretus est, quia Capuam, & Fregellanos solum recuperauerant. Et Nasica, Catulus, C. Antonius, L. Cinna, C. Marius & Sylla ex civili bello, & de ciuibus uictis non triumpharunt. Camillus tamen recuperata ex Gallis hostibus patria triumphauit. Hæ leges etiam postea non usquequaq; obtinuerunt. nam Vespasianus de Iudæis recuperatis, & Iulius Cæsar de Pompeio & alijs ciuibus Romanis triumphum egerunt, Nec mirum si tandem has leges periisse, cum multæ aliæ leges stante sub consulibus republica caste seruari solite, sub principibus ex usu abierint, ut præclare Blondus triumphantis Romæ libro decimo scribit. ubi etiam post Liuium libro nono Belli Macedonici alia lege cautum fuisse dicit, ne quis triumpharet, qui exercitum non deportasset, & prouinciam in qua res gesserat pacatam, perdomitamq; successori non tradidisset. & ideo iuste L. Manlio et Marcello triumphus denegatus est, nam de Hispania, & Sicilia quas non perdomuerunt, triumphare uolebant, ouatio tamen utrique post gestis concessa est. Alia triumphandi lege cautum fuisse Plutarchus in uita Pompeij refert, ne dux ante triumphum urbem ingrederetur. Hæc lex usqueadeo Romæ seruata est, quod cum Cæsarem triumphaturum urbem ingredi ante triumphum prohiberet, & altera absenti consulatum editis iam comitijs consularibus denegaret, omisso triumpho priuatus, ut consulatum peteret, urbem ingredi maluit, & consul cum Bibulo creatus est. nam si triumphans urbem introire uoluisset consulatu lapsis comitijs exclusus fuisset. Pompeio quoq; priuato triumphum petenti, quod consuli, aut duci triumphus lege tantum permetteretur Sylla obiecit. Vnde etiam Scipio cum in Hispania neque consul neque suis auspicijs

Carthaginenses superasset, triumphum propter hanc legem non postulavit, & insigni Pœnorum classe deleta Lucratio Catulo consuli, non Q. Valerio prætori triumphum senatus decrevit, licet ea pugna bonam operam Valerius navasset.

L Ex Manilia. Manilius plebis tribunus legem tulit, ut quando res à nobilibus aduersæ gestæ fuissent, etiam hi ad magistratus gerendos admitterentur, quorum maiores in Romana republica magistratus non exercuissent. huiusmodi autem homines noui appellantur. Romani enim autore Plutarco. eos qui generis gloria carentes, à seipsis nominis sui initium capiebant, novos homines è more uocabant. unde ipse Cato senior, & complures alij obscuris & ignotis nati parentibus, noui appellati sunt.

L Ex Othonia. Otho tribunus plebis legem tulit, ne quis cum ordine equestri in spectaculis sederet, nisi sestertium quadraginta milia possideret, quod si contingeret, quisquis esset siue ingenuus, siue libertus inter equites in gradu XIIII. spectare ei liceret. Sed cum pleriq; equitum ut Tranquillus scribit, attrito bellis ciuilibus patrimonio spectare ludos è XIIII. gradu metu pœnæ theatrialis non auderent, Augustus deinde hac lege eos quibus ipsis, parentibus ue equester cœsus unquam fuisset, non teneri pronunciauit. Per quingentos quoq; & quinquaginta octo annos Senatus populo mixtus spectaculo ludorum interfuit, ut apud Valerium institutis antiquis legitur. sed hunc morem Attilius Seranus, & L. Scribonius ædiles, ludos matricem facientes, Scipionis Africani sententiam secuti discretis senatus, & populi locis soluerunt. Postea Augusti tēporibus primus subselliorum ordo senatoribus decreto patrum uacauit. militem etiam Augustus à populo secreuit.

Leges

*Noui
hoies.*

LEges Apulie. L. Apuleius Saturninus pleb. Tribunus legem tulit, ut nemini præter decretum populi in regione esse liceret, quatuor enim regiones, id est maiores in urbe partes erant, ut Varro & alij tradunt. è quibus prima regio suburbana dicebatur, secunda Esquilina nominabatur, tertia Collina, & quarta Palatina appellata fuit. Et licet hoc plebiscitum non haberet necessitatem, tamen Senatores id iureiurando confirmare Saturninus coëgit. Solus Metellus Numidicus aqua, igni, tectoq; interdictus exulare, quam iurare maluit. Idem Tribunus ut sibi gratiam Marianorum militum pararet, legem alteram tulit, ut ueteranis in Africa centena agri iugera diuiderentur.

LEx Sulpitia. Sulpitius tribunus plebis, ut aduersus Mithridatem Marius bellum gereret, legem tulit. sed hæc lex nullum habuit effectum, nam Sylla uicto Mario, & cæso Sulpitio in Mithridatem profectus est. Is etiam Sulpitius lege promulgata, ne quis ordinis senatorij ultra duo milia drachmarum æs alienum conflare posset, cum uita excessit, trecentas miriadas, sicut apud Plutarchum in Sylla legimus, debiti nomine reliquit.

LEx Oguinia. Quum apud Romanos iam eò deuentum esset, ut Præturam, consulatum, censuram, dictaturam & alios magistratus plebeij gerere possent, neq; adhuc sacerdotia essent promiscua, nec ad ea plebeijmitterentur, Q. & Cn. Oguinij Tri. pleb. rogationem promulgarunt, ut cum quatuor augures, & quatuor pontifices ea tempestate essent, augeriq; horum sacerdotum numerum placeret, quinque augures, quatuorq; pontifices (de plebe omnes) allegerentur, de hac lege suadenda dissuadendaq; inter App. Claud. patricium, & P. Decium Murem plebeium certatum est. Sed optimates tandem plebeijs cedere coacti

coacti fuerunt, & lex ingenti consensu accepta est, ac sic duo sacerdotia inter patres, & plebē hac lege effecta sunt promiscua. *suasorq; legis P. Decius Mus, P. Sempronius Sophus, C. Martius Rutilus, M. Livius Denter plebeij pontifices creati fuerunt. Item quinq; alij C. Genutius, Aelius Pætus, M. Minutius, Clau. Martius. & T. Pub. augures etiam e plebe designati sunt.* Pontifices Numa inuenit, unusq; alijs præerat, & Max. Pont. dicebatur, quod in Vestalibus seruatum fuit. nam uirgo alijs imperans, Max. uirgo dicebatur, qualis fuit Aemylia Vestalis, & Cornelia, & alie plures Vestales. quatuor enim Vestales Geganium, Bereniam, Camiliam, & Tarpeiam Numa Pompilius legit, deinde Seruius alias duas addidit, isq; Vestalium numerus postea à Romanis custoditus est. Ex his una reliquis præerat, & uirgo Max. dicebatur, ut de Aemylia & Cornelia diximus. Primus autem qui Pontificat. Max. gesserit, Martius Martij patricij filius fuit, et eum Numa creauit, post hunc illustres uiri hoc sacerdotium obtinuerunt P. Licinius, Sc. euola, Metellus, Cæsar, Augustus, Titusq; & alij complures. Hodie magnas huiusce antiquitatis reliquias seruamus. summum enim habemus Pont. cui minores pontifices, & Christiani parent, & constituendi, ligandiq; potestatem à deo habet. Inter nostras quoq; Vestales Max. uirgo, quam abbatissam dicimus, alijs præest. Inter Augures impar numerus autore Liuius esse debebat, ut tres Romanæ tribus Rænenses, Titienses, et Luceres suum queng; augurem haberent, sic enim Romulum instituisse collegium augurum Dionysius tradit. Quod si pluribus opus erat, pari inter se numero sacerdotes multiplicabāt, unde quinq; prioribus adiectis, ut terni in singulas tribus essent, Tribuni numerum nouem augurum expleuerunt.

itaq;

Vestales
uirgi,
ms.

itaq; non inuenit Liuius, quemadmodum ad quatuor augurum numerum nisi morte duorum, redigi id collegium potuerit. Ex hoc loco patet, non hodie initiū sumi, quod nobiliti duntaxat genere nati ad quaedam sacerdotia admittantur, sed & non hodie exordium sumitur, quod plebeij hunc morem reprobent, & conquerantur, ut in hac lege ostenditur. Gregorij tandem Pont. constitutione discrimen in sacerdotijs habendis inter patricios & plebeios sublatum est. certis tamen in rebus ratione nobilitatis iura aliquid patricijs concedunt, quod & plebs improba ferre æquo animo non potest.

L Ex Manlia. Caius Manlius tribu. pleb. legem tulit, ut Cn. Pompeius Magnus bellum aduersus regem Ponti Mithridatem gereret, qui nocturno proelio uictus in regnum confugit: ubi dum Pompeius eum persequendo occurrentes sibi regiones subigeret, Pharnacis filij seditione in turri obsessus, mortem sibi consciuit. Fuit tamen hæc lex magna patrum indignatione lata, ut Plutar. scribit, eo quod Lucullus rerum gestarum gloria hac rogatione priuaretur, & quod Pompeius magis triumpho, quam belli successor ei daretur. Nam Mithridatem iam sæpe Lucullus fuderat, & tamen huius copiae cum prouincijs ex hac lege Pompeio ad Mithridatem debellandū obueniebant, de quo tandem Pompeius triumphauit. Sed si plebisciti definitio probe intelligatur, hæc lex plebiscitum uocari nequaquā poterit, sicut neq; de imperio Cn. Pompei, neq; de ritu M. Ciceronis, neq; de cæde P. Clodij quaestio, neq; alia id genus populi, plebis'ue iussa, leges, plebiscitaq; uocari possunt. non sunt enim generalia iussa, neq; de uniuersis ciuibus, quod legis, plebiscitiq; definitio exigit. Quocirca priuilegia secundum Gellij opinionem lib. 10. potius uocari debent, cum de singulis

gulis concipiantur, singulosq; concernant. Doctissimi tamē aliquando his uocabulis promiscue utuntur, & ne externos quæramus autores, Pomponius iureconsultus pro teste in titulo de legat. se exhibet, dum priuilegiū latū, ut Hostilius Mancinus ciuis Romanus maneret, legem appellat.

Lex Falcidia. Hanc legem Augusti temporibus fuisse latam Eusebius scribit. in cuius relatione à Paulo lib. ff quinto & trigesimo aliquantulū discrepat. Dicit enim C. Falcidium plebis tribunum legem tulisse, ne quis plus testamento legaret, quàm ut quarta pars hæredibus superesset, si quatuor aut pauciores essent. si autem plures quatuor essent, ut medietas eo tenore hæredibus ipsis relinqueretur ut sine liberis, sine propinquis idem exteris sua pater legaret. illa pars quam Falcidius constituit, nisi pater interdixerit, & legatis fruentibus, & iisdem carentibus, æquanimiter partiretur. At Paulus ut supra ostendimus, aliter hanc legem fuisse constitutā refert. sed certe prædicta Falcidiæ legis commemoratio (nisi fallor) stare non potest. nam licet legatum uni ex hæredibus factum non impediatur quominus partem quartæ per legem Falcidiam debitæ habeat, nec in quartam (nisi testator dixerit) imputetur ut Caius, & Martianus de lege Falcidia crediderunt, tamen Falcidia lex hæredum numerum non considerauit, sed liberam legandi facultatem dedit, modo apud hæredē unum, siue plures, quarta pars Iustiniano Pauloq; autoribus remaneat, nisi omnium hæreditas nominatim sit exhausta legatis, quo casu in singulis hæredibus ratio legis Falcidiæ ponenda est. Nec de quarta filijs debita Eusebius intelligere potuit, licet patris mentionem fecerit, quia per Falcidiam legem non debetur. Præterea Iustinianus liberorum distinctionē inuenit, non lex Falcidia, quæ Augusti temporibus lata est.

LEx Aquilia. Aquilius pleb. tribu. à plebe rogavit et primo eius capite occidens iniuria seruum alienum, quadrupedem, uel pecudem, tantum æs quanti plurimi res eo anno erit, domino dare tenetur: in omni autem alio damno in tantum tertio eius capite quis domino obligatur, quanti res in x x x. proximis diebus fuerit. Secundum caput huius legis in dissiuetudinem abiit. de hac lege in ff. plura leguntur, quare ultra non progredior.

F I N I S.

A Y M A R I R I V A L

LII ALLOBROGIS HI-

STORIAE IVRIS CIVILIS

LIBER III.

*

SENATVSCONSVLTA.



TERTIO loco Romane Reipublice curam Senatus accepit, eo quod aucta ciuium multitudine populus difficulter totiens conuenire poterat, ut ciuitatem regeret, & sic tertia reipublice species optimorum potestas Græco Aristocratia nomine apud Ro. fuit, quæ est, cum per studiosos & optimos ciuitas gubernatur. Et quia ad Reipublice gubernationem legum sanctio supra alias res per necessarias uidebatur, ius quo ampliatae sunt leges prius latae, & interdum abrogatae, Senatus constituere cœpit, idque ius eo quod ad senatus fieret consultationem, Senatusconsultum fuit appellatum. Est enim Senatusconsultum, ut iureconsulti diffiniunt quod

III.

Agisokoo
tia Ro.
mano

A.

quod senatus rogante consule iubet, atq; constituit. Et frequenter ab consulis interrogantis nomine ipsa Senatus decreta dicebantur, sic à Trebellio consule, Senatusconsultum Trebellianum, à Pegaso Pegasianum à Velleio Velleianū, ab Orficio Orficianum, à Symiamura Heliogabali matre, Symiamirana Senatusconsulta appellata fuerunt. Pariter rogationes, leges scilicet & plebiscita, ut sanctio Iulia, Cornelia, Cassia, Pompeia, Aquilia, Falcidia, & aliæ complures leges abrogantis nomine appellantur, ut lib. 2. ostendimus. Plebis tamen Tribuni ante ualuas curiæ (quam intrare illis non licebat) positis subsellijs senatus decreta examinabant, sicut in secundo Valerij lib. scriptum habeo, ut si qua ex eis improbassent, rata esse non sinerent, itaque inquit, ueteribus S. C. T. litera subscribi solebat, eaq; nota tribunos eadem censuisse significabatur. Neque senatui iuris constituendi potestatem lex deinde regia in principes transferens imperium abstulit, ut argumento sunt multa. Neronis enim temporibus Senatusconsultum Trebellianum s. Calendas Septembris A. Seneca, & Trebellio Maximo C O S S. constitutum fuit, Alterum Domitiani temporibus fuisse factū Caius lib. ff. unde quadragesimo de collusione detegenda scribit. Quinimo oratione in senatu habita, autores aliquot fuere imperatores senatui de aliqua re censendi, & Senatusconsultum faciendi, unde à Diuo Marco oratione habita ne aliter transactio alimentorum rata esset, quàm si autore prætore fieret, senatus constituit, ut apud iurisconsultos de transactio. lego. Vlpianus etiam lib. ff. septimo & uigesimo scribit curatores & tutores prædia rustica & suburbana distrahere prohibitos, oratione imperatoris Seueri in Senatu Idibus Iunijs, Theophilo & Clemente C O S S, recitata. Et ante huius imperatoris excess

T.

1. Argm.
ex SC.
sub Imp.
factis.

excessum, ut idem Vlpianus de donat. inter uirum & uxorem refert, filius Antoninus Imperator oratione in Senatu habita autor senatui fuit censendi Aemyliano & Numio Albino C O S S. ut aliquid e iuris rigore circa donationes inter uirum & uxorem laxaretur. Vespasianus quoq; si Tranquillo credimus, autor senatui fuit decernendi, & senatusconsultum faciendi, ne filiorum familias sceneratoribus exigendi crediti ius unquam, hoc est ne post patrum quidem mortem esset. hoc autem senatusconsultum Vlpianus lib. ff. 14. Macedonianum à Macedone iniquo scenatore appellat. Sic legem Scantiniam à C. Scantinio plebis tribuno, ob appellatum de stupro Marcelli filium damnato dictam fuisse aliqui putant. Et quia præcedente imperatorum oratione hæc senatusconsulta fiebant, iurisconsulti in quinquaginta ff. libris, & etiam imperatores in eorum sanctionibus huiusmodi decreta modo orationes, modo senatusconsulta uocant, quod interpretes pleriq; nequaquam intellexerunt. Hæc exempli gratia retulisse sufficiat. nam ferè quæcunque senatusconsulta in libris digestorum quinquaginta leguntur, Imperatorum temporibus facta fuerunt, quod magna est probatio aduentum Augustorum senatus potestatem non extinxisse. Antiquiora certe extant perpauca, saltem quæ ius ciuile concernant, cùm instrumentum uetustissimum desideretur, in quod Vespasianus pene ab exordio urbis Senatusconsulta, & Plebiscita de societate, & scedere, ac priuilegio cuiusque concessis redegit. Vnum tamen hodiè senatus decretum uetus apud Rubiconem fluiuium in columna marmorea adhuc uidetur, cuius uerba me non parum huiusmodi antiquitatibus oblectans, libenter subiicero.

Iussu mandatu' ue P. R. cõmilito, armate quis

n

quis

SC.

quis es, manipularis'ue, Centurio'ue, Turmæ'ue Legionarię hic sistito, uexillum'ue finito, nec citra hunc annum Rubiconem signa, ductum, cōmeatum'ue traducito. Si quis huiusce iusionis ergo aduersus præcepta ierit, fuerit'ue, adiudicatus esto P.R.H. ac si contra patriam arma tulerit, penatesq; è sacris penetralibus asportauerit, S.P.Q.R. Sanctio Plebisciti.S.ue C.

Quinetiam in portu Arimini alterum est adhuc eiusdem sententię SENAT. CONSULT.

Imp. Mil. Tiro. armate quisquis es, hic sistito, uexillum finito, arma deponito, nec citra hunc annum Rubiconem signa, arma, exercitum'ue traducito. Si quis ergo aduersus præcepta ierit, fecerit'ue, adiudicatus esto Hostis P.R. ac si contra patriam arma tulerit, sacros'ue penates è penetralibus asportauerit. Sanctio plebisciti, senatusconsulti. ultra hos fines arma proferre liceat nemini.

Quibus Senatus consultis Cæsar fortassis territus cū è Gallia rediens ad Rubiconem usq; peruenisset, & aduersus Pompeium, populumq; Romanum bellum gesturus esset, militibus dixisse fertur; & etiam nunc regredi possimus, quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt. De his quoque senatus decretis Lucanus primo libro intellexit. Iuris insuper condendi potestatem senatui legem regiam nequaquam ademisse numismata Imperatorū temporibus percussa ostendunt. nam complura sunt literis S.C. cum eorū effigie inscripta, quibus significari senatusconsultum

2. Argm.
ex numis,
mate.

consultum Probus de literis antiquis, & Passius lib. 3. dicunt. Primum enim Seruius, deinde Tarquinius Superbus æ sua autoritate signavit, mox populus nummum percussit. leges, ut de Papyriana & Clodia in Seruio retulimus, super hoc faciēdo. Signandi etiam nummi potestas ad ipsos Tribunos è XII. tab. legibus delata est, ut ex Cicerone de legibus apparet. Postremo sicut rebus in cæteris, sic in nummo percutiendo, qui sola autoritate publica fabricari potest, Reipublicæ curā senatus accepit, unde Senatusconsult. literæ percussum senatus autoritate nummum iisdem literis inscriptum demonstrant. factō senatusconsulto, ut illa nota quæ uisa erit, nummus percuteretur. Vlpianus quoq; de legibus suo tempore nō fuisse ambiguum dicit, senatum ius facere potuisse, qui tamen Alexandri temporibus fuit. Referente quoq; ad senatum consule, id est cōsulente senatum consule, fiebat senatusconsultum, quod è M. Cicerone cognitu est facile, dum libro epistola. primo unum senatusconsultum Lentulo referente factum aliquando fuisse scribit. Quinimmo id noster Vlpianus de petitione hereditatis expressit, cum pridie Idus Martias Q. Iulium Balbum & P. Iubentium Celsum, C. Aufidium, & Onerium Seuerianum COSS. de his uerba fecisse tradit, quæ Imperator Cæsar Traiani Parthici adoptiuus filius, diui Neruæ nepos, Adrianus Augustus Imperator maximusq; princeps, quinto nonas Martias quæ proximæ fuerāt in senatu proposuerat, postea refert, quid de illa re fieri senatores omnes censuerint. Idem ad Velleianum, M. Syllanum & Velleium dudum COSS. de obligat. sceminarū, quæ pro alijs reæ fierent, uerba fecisse tradit, & quid de ea re fieri oporteret, eos senatum consuluisse scribit, deinde senatusconsulti uerba ad consulum relationem facti subiungit. Vnde

2. Argm
ab aucto.,
ritate.

Varro consulem quod populum & senatum consuleret, nominatum esse de lingua Latina tradit. Ad populum etiam referre, ut Valla perhibet, in eadem sententia erat, ex quo Rogatio fiebat, cuius nomine plebiscita & leges generali uocabulo secundum Gellij sententiam dicebantur. Modum autem Senatusconsulti faciendi hunc apud Romanos fuisse deprehendimus. Consul enim prout negocium occurreret ad Senatum, ut dixi, primum referebat, deinde patris cuiusq; sententiam super relato negotio gradatim rogabat, postremo audita cuiuslibet opinione, senatus decretum, ut e Plinij Cæcilij epistolis constat, secundum plurimum sententiam fiebat, quam formam Tull. consul apud Crispum eleganter obseruauit, qui deprehēsis Catilinæ socijs ad Senatū primo retulit, quid de his fieri placeret, qui in custodia traditi erant, quos paulò antè frequens Senatus contra R. P. fecisse iudicauerat. Secundo loco D. Iuni. Syllanum, quod eo tempore c o s s. designatus esset primo sententiam rogauit, postea ad Cæsarē uenit, demum M. Porcius Cato ab eo sententiam rogatus orationem luculentissimam habuit, cui omnes consulares, & magna pars Senatus assenserunt. Senatus postremo decretum, sicut Cato censuerat, fuit factū. Et sententiam uerbis, senatores rogati, ut Syllanus, Cæsar & Cato, quos retuli, interdum efferebant. Aliquando per discessionem sententiæ dicebantur, quando omnes aut pleriq; idem sentientes in unam partem pedibus aut manibus ibant, sententiā ab aliquo dictam sic approbantes, ut lib. 3. & 14. Gell. testatur. Sallustiusq; scribens Syllanum postea permotum C. Cæsaris ordine pedibus in sententiam Tiberij Neronis iturum se dixisse, cæterosq; uerbo, alios uarie Cæsari assensisse. Flauius quoque Vopiscus in Aureliani uita dicit, alijs manum porrigentibus, alijs pedibus in sententiam

Modus
sc' f
r'dj.

197. 2
Syllanus
1217

tentiam euntibus, plerisq; uerbo consentientibus conditum fuisse S. C. hinc Cicero epistolarū lib. primo ad Lentulum, senatusconsultum discessionem uocat. Et hic modus effere di sententiam, nisi fallor, inuentus est ut res fierent expeditiores, quia nonnunquam dum plurimi Senatores essent, aut duo capita sententiarum forent, singulos audire lōgum erat, quod Quintilianus intelligit, ubi manibus pedibusq; isse in sententiam necessitatis dicit. Ordo autem rogandi sententias, ut A. Gellius & Fenestella scribunt, uarius fuit. Aliās primus rogabatur qui à CENS. princeps in senatum lectus fuerat. Aliās qui designati COSS. erant, in qua re nobis Syllanus testimonio fuit. Quidam è consulibus studio aut necessitate aliqua adducti, quem uolebant honoris gratia extra ordinem primum sententiam rogabant. nullus tamen cum id fieret, quenquam ex alio quam è consulari loco sententiam primum rogabat. Erat quoq; consuetudo secundum Tranquillum in uita Iulij, ut quem ordinem interrogandi sentētias consul calendis Ianuarijs instituisset, eum toto anno conseruaret. Sed C. Cæsar in consulatu, quē cum M. Bibulo gessit, eum ordinem non obseruauit. nam collocata Pompeo Iulia filia Pompeium primum rogare sententiam cœpit, quum Crassum soleret. Sed cum multi è senatoribus intelligentes secundum hunc ordinem complures ante se sententiam dicturos, magis aliorum sequerentur opinionem quam censuram, Diuus Augustus postea huic rei subuenit. nam sententias de maiore negocio, non more neque ordine, sed prout licuisset perrogabat, ut perinde quisque animum intenderet, ac si censendum magis quam assentiendum esset. Si hanc Augusti calliditatem nostræ tempestatis præsides obseruarent, citius fortassis, & æquius discuterent, nisi imperitia aliqui senatores alio-

ordo 2o.
gandy
sententias
in Senatu.

locus.

rum sequi opinionem cogentur, quod superioribus mensibus euenit. quidam enim primum sententiam rogatus, se censere dixit quod eius amicus statim dicturus erat. Insuper apud ueteres in senatusconsult. faciendis præceptiones aliquot fuere. ut per dictatorem, consules, Prætores, Tribunos plebis, interrogem, & urbis præfectū tantum ea fierent, Senatusq; haberetur. Quod si eodem tempore omnes isti magistratus Romæ essent, prout quisque primus erat, Senatus consulendi ius habebat. unde apud Suetonium legimus senatum in quo Augusti testamentum fuit recitatum, iure Tribunitiæ potestatis fuisse coactum. Extraordinario tamen iure Tribuni militares, decemviri, & triumviri causa Reipublicæ constituendæ creati ius consulendi senatum habuerunt. Præterea senatus decretum in loco solum per augures constituto fiebat, nec omnibus diebus, ut ante calendas Februarij, neq; toto mense Februario, neque per festis aut reiectis legationibus, senatus per legem Papiam, ut Cicero in epistolis ait, haberi poterat. Post cædem quoque Cæsaris, ne unquam Idibus Martijs senatus ageretur, constitutum est, & Senatusconsult. ante exortum, aut post occasum solem factum ratum minime fuit. De rebus quoque diuinis prius quàm humanis ad senatum referendum erat. alia id genus ueteres in faciendis senatus decretis obseruabant, de quibus M. Varro librum ad Cn. Pompeium scripsit, cum ei primus consulatus cum M. Crasso delatus esset. sed cum desiderari A. Gell. lib. 14. scribit. Fenestella etiam tradit post Papyrium Prætextatum, minori quinque & uiginti annis senatū ingredi non licuisse, quod & Plutarchus in uita Pomp. Magni scribit, & iure civili cautum est, & in ipso Pompeio ut in alijs obseruatum legimus. nondum enim in quarto et uigesimo anno, licet præclara bello egisset,

set, in senatu admissus fuerat, huic autem edicto causam Pa-
pyrius dedit, ut testis est Macrobius. Fuit etiam apud maio-
res senatusconsultum tacitum, quod quale fuerit, aut quare
sic dictum fuerit, Capitolinus in uita Gordianorum osten-
dit, ut si forte aliqua uis ab hostibus immineret, quæ uel co-
geret humilia captare consilia, uel aliqua constituere quæ
non prius dici quam effici oporteret, Senatusconsultum ta-
citurum fieret, ita ut non scribæ, non serui publici, non cen-
suales illis actibus interessent, sed senatores exciperent, &
omnium censualium, scribarumq; officia complerent, ne
quid forte proderetur. Consulta senatus cum essent conclu-
sa, coram ipsis qui decreuerant scribebantur. & cum tri-
buni plebis de more T. literam scripsissent, ad ærariū de-
ferebantur, ubi in libris elephantinis ad id institutis scripta
conseruabantur, ut apud Blondum de Roma triumphante
scriptum reperimus, cui in S. C. quæ ad principes pertine-
bant Vopiscus assentit. Quod autem supra diximus sena-
tusconsulta prius latis derogare legibus, Tertullianum Se-
natuscon. & alia quædam ostendunt, sicut ab eisdem leges
fuisse extensas probat senatus decretum Orficianum, ab
Orficio consule nominatum, & Pegasianum quod à Pega-
so consule nomen accepit, & alia complura quæ nunc re-
ferre non est necesse.

PRAETORVM EDICTA.

Sed cum bellis finitimis consules auocarentur, & in ci-
uitate desideraretur qui ius diceret Romanis ut Pomp.
refert, præturam creare placuit, quam qui gessit, Prætor à
præundo si Varroni credimus, & urbanus quod inter ur-
banos ius redderet, tandem appellatus est. Lilius tamen
aliam creationis præturæ originem commemorat, & eius
opinionem Fenestella adhæret. Scribit enim patres post lōgas

altercationes permisisse consulem alterum è plebe creari, & ideo plebis uoluntate sibi nouum concessum fuisse magistratum qui è patribus crearetur, prætorémq; à præuendo populo eum dixerūt qui hunc magistratum gerebat, & ut iam retuli, eo quod in urbe ius diceret, urbanus tandem fuit appellatus. Sed eo non sufficiente propter adueniētes exteros, & multitudinem peregrinorum Romam cōfluentem, deinde post aliquot annos alter prætor creatus est. & quoniam inter peregrinos cognoscebat, peregrinus appellatus est. Subactis postea quatuor prouincijs sicilia, Hispania, Sardinia, & Narbonensi, totidem prætores quot prouinciæ in ditionem uenerāt, partim qui urbanis rebus, partim qui prouincialibus præessent, creati fuerunt. Deinde Cornelius Sylla quæstiones publicas de falso, de parricidijs, de Sicarijs constituit, & ideo quatuor prætores adiecit. Post Iulius Cæsar duos prætores cōstituit. bonus deinde Augustus xvi. prætores creauit. duos postea qui de fidei commissi ius dicerent Claudius adiecit. e quibus unum Titus detraxit. & unum qui inter fiscum & priuatos ius diceret Nerua adiecit. Penes hunc uerò magistratū omnis publici, priuatiq; iuris potestas fuit, ut Fenestella memorie tradidit, adeo quod iuri ueteri abrogare, & nouum condere ei facultas erat. Et ut ciues scirent quod ius de quaque re quisq; dicturus esset, seq; præmunirent, edicta proponebat, quæ ius Honorarium constituerunt. & quia ab honore prætoris id ius uenerat, ideo Honorarium dictum est. tantum enim aucta est prætoris autoritas, ut quod ipse edixisset, ob ipsius honorem ius honorarium uocaretur. Idem ius, prætorium etiam dictum est, eo quod prætoribus, ut Papiniano placuit, adiuuandi, supplendi, uel corrigendi iuris ciuilibus gratia propter utilitatem publicam introdu-

ctum

Prætor
origo.

Etum foret. Adiuuat enim cum institutis dat bonorum possessionem secundum tabulas, qui iure civili prius hereditatis petitionem habebant. Supplet quando omnes domini dolo fecerint, quominus seruum qui furtum fecerit in potestate haberent, nam iuris civilis actionem prætor subsequitur, & iudicium honorarium ex hac causa in eum quem actor elegerit, dare pollicetur, ut apud Iulianum de noxalibus actionibus reperitur. Sed & in successione prætor ab iure civili omissum suppleuit. nam cum ius civile nullam cognatorum mentionem fecisset, eos prætor succedere post suos & legitimos uoluit, sicut Diocletianus, Maximianus, Iustinianusq; & alij imperatores multi post Vlpianum, Caium, & complures alios Iureconsultos retulerunt. Iustiniani postmodum constitutio omnem inter agnatos & cognatos succedendi differentiam sustulit. Ius autem civile prætor corrigit in furto manifesto, x. uiri enim qui post reges exactos leges quibus Po. Ro. uteretur in xii. tab. scripserunt, furem qui in manifesto furto prehensus esset, tum denuin occidi permiserunt, ut Gell. lib. ii. testatur, si furtum aut noctu faceret, aut interdium se, cum prehenderetur, telo defenderet. Ex cæteris autem manifestis furibus liberos uerberari, addicq; ei iusserunt, cui factum furtum esset, si modo id luci fecissent, neque se telo defendissent. Seruos item furti manifesti prehensos uerberibus affici, & è saxo præcipitari, sed pueros impuberes prætoris arbitrato uerberari, noxamq; ab his factam sarciri uoluerunt. Postea ab lege illa x. uirali discessum est. nam si quis super manifesto furto iure & ordine experiri uelit, actio in quadruplum autoritate prætoris datur, ut Iustinianus de perpetuis & temporalibus actionibus scriptum reliquit. Complura prætorum edicta in ff. libris legimus. de his qui notantur

infamia, de dolo, de metu, de in integrum restitutione, de damno infecto, de operis noui nunciatione, de incendio, & alia id genus quibus iuris ciuilibus libri replentur. Plura enim decreta e' sola praetoris iurisdictione in libris Pandectarum habemus, quam e' reliquis omnibus simul ciuilibus disciplinae partibus. Et interdum iurisdictionis perpetuae praetores edita proponebant, ut de pactis seruandis, de iureiurando, quorum bonorum, de tabulis exhibendis, & similia aliquando prout res incidebant, ut de aliquo in ius uocando, & in albo, uel in charta, alia ue materia edita proponebantur. Et quod erat iurisdictionis perpetuae corrumpens, poenam aureorum quinquaginta, secundum Vlpiani sententiam luebat, & falsi crimine autore Modestino lib. ff. duodequingagesimo tenebatur, qui dolo malo edita corrupisset. Neque praetores, neq; iuris condendi autoritatem praetoribus aduentus imperatorum abstulit, quum illorum numeris ab his aliquando auctus fuerit, & nouam (ut paulo ante diximus) praetoribus iurisdictionem principes interdum dederint. Praeterea Diui fratres, cum maritus quidam eorum temporibus praegnantem uxorem, ea inficiente diceret, Vale. Prisciano praetori urbano, quid in hac re faciendum esset, rescripserunt, ut de uentre inspiciendo Vlpianus refert. Praetorem quoq; aduersus Campanos, qui metu cuidam illato cautionem pollicitationis extorscrant, interlocutum Vlpiano assidente legimus. Paulus insuper se praeturam gessisse de manumissis uindicta scriptum reliquit, qui tamen Alexandri temporibus fuit. Drusus etiam Augusti priuignus, & Galba, & complures alij praeturae honorem imperatorum temporibus nacti sunt. constat ergo praetores imperatorum temporibus fuisse. Sed non tanta fortassis autoritatis, ut prius, quod & in alijs magistratibus coniecta-

re licet, quorum potestas aduentu principum diminuta est. unde Decius Seuerus prætor, quia in quadam restitutione dubitabat imperatorē Seuerū apud Vlpianū de minoribus cōsultuit, ubi aliās propria autoritate statuisset. Prætori regia insignia consularesq; ferme apparatus, lictores uerò nō amplius sex, sella curulis & Trabea, cæteraq; huiusmodi tradita fuerunt. Paulus tamen Aemylius prætor in Iberiam belli gratia se conferens, duodecim lictores secundum Plutarchum habuit. Præterea equis albis, & trabea candida prætor utebatur. Primus qui hunc magistratum gesserit Rutilius dictus est, ut in libro duodequadragesimo apud Vlpianum scriptum habeo. Sed Lilius, cui magis crediderim, S. P. Furium, M. filium Camillum primam habuisse præturam lib. 7. ab urbe condita asseuerat. utcunque fuerit, hoc magistratu functi sunt uiri illustres Aemylius, Scaurus, Cornelius Sylla, L. Lucullus, M. Cicero, C. Cæsar, Brutus & alij complures. nec mirum sit, quum è patribus (ut dixi) prætores crearentur, licet postea immutatum fuerit. nam ex plebe creari cœperunt, Quintusq; Publius Philo primum de plebe prætor aduersante Sulpitio consule factus est. & prætura, sicut Tribunatus, & ædilitas media dignitas erat, iunioribusq; ut Plutarchus refert, dari solebat. His tamen dignitatibus omiſſis, T. Flaminius in iuuentute summam consulatus dignitatem obtinuit.

*

F I N I S.

A Y M

AYMARI RIVAL
LII ALLOBROGIS HI-
STORIAE IVRIS CIVILIS
LIBER IIII.

*

DECRETA PRINCIPVM.



POSTREMO gens Romana ite-
rum uni obtemperare principi coepit, an-
no urbis conditæ (ut Aurélius tradit)
D C C . X X I I . ab exactis uero regib.
C C C C L X X X q; , siue V I . ut alijs pro-
babilius uidetur, quod per unum consuli Reipublicæ neces-
sarium foret. nam senatus non perinde prouincias omnis
regere poterat, cuius tamen potestas, ut supra in Senatus-
consultis diximus, non omnino exoleuit. nam & Imperato-
res ipsi non tantum semel atq; iterum, sed aliqui quinquies,
& sepius consulatum primam senatus dignitatem gesse-
runt, ut historici memoriæ tradiderunt. Præterea adhuc
extant illorum numismata, in quibus exempli gratia I I I I .
C O S S . & V I I . C O S S . I . quartum & septimum C O S .
legimus. dico autem quartum & septimum C O S . tempus
adsignificantiæ, & eundem ter aut sexies consulem ante fa-
ctum, non quarto & septimo, quibus locus, & treis uel
sex ante factos è Gellij sententia lib. 10. adsignificatur. Imò
Augustus exegisse fertur, ut quoties sibi consulatus dare-
tur, binos pro singulis collegas haberet. qui non obtinuit,
clamantibus cunctis satis maiestatem eius imminui quod
honorem eum non solus, sed cum altero gereret. Fuit ergo
iterum apud Romanos prima Reipub. species, & qui ei
præfuit

IIII.
Mova=
p.ia
Roma-
nos.

præfuit Imperator, uel ſanctiori nomine Auguſtus in hanc uſque ætatem dictus eſt, propterea quod regium nomen apud Quirites à Tarquinio exacto odioſum remanſit. cui ius lege regia datum eſt, ut lib. ff. Vlpianus de conſtitutionibus principum reſert, ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet, quod ergo Imperatori placuit, legis uigorem habet. & ſiue per epiſtolam, & ſubſcriptionem aliquid ſtatuit, uel cognoſcēs decreuit, de plano interlocutus eſt, uel ediſto præcepit, legem eſſe conſtat. hæc ſunt quæ uulgò conſtitutiones ſiue decreta principum appellantur. Imperatoris quoque oratione in ſenatu recitata leges condebantur, conditæq; ſeruabantur, ſicuti Theodoſius, & Valentinianus conſtituerunt. unde Iureconſulti (quantum ex ſcriptis eorum colligimus) modo Imperatorum epiſtolas reſerunt, ut in Marcello reſerente lib. ff. i. Diui Marci & Commodi Scapulae Tertullo reſcriptum probatur, et Calliſtratus diuū Adrianum Iunio Varro legato prouinciæ Ceciliae reſcripſiſſe in tit. de teſti. dicit. Poſt eiufdem principis epiſtolas plures ad uerbum commemorat. interdum Imperatorum ſententiam & decretum ipſi Iuriſconſulti reſerunt. & ideo Paulus lib. ff. unde quinquageſimo de iure fiſci Adriani ſententiam reſert. Aliquando principis ediſto iuriſperiti commemorant, in qua re Calliſtratus Diui Claudij ediſtum in tit. de falſis reſerens, teſtis eſt. Marci quoque orationis tranſactionem alimentorum prohibētis abunde Iureconſulti meminere. Orationem etiam Seueri & Antonini quaſdam Senatorum nuptias inhiſcentem iuriſperiti commemorarunt, ſed & ex oratione Adriani in ſenatu circa petitionem hæreditatis habita, multa apud Iureconſultos legimus. Sæpe conſtituti iuris modum ſiue formam iuriſperiti omittentes generaliter loquuntur, & uocabulo generali conſtitutione, uel huius

ius simili utuntur. Quare Africanus lib. ff. 7. & 30. Diui Pij constitutionem ad Tuscium Fuscianum Numidiæ legatum adducit. Nec satis est constans opinio, in quem primum huiusmodi potestas lege regia translata fuerit, quamuis Augustum in retinenda Republica Suetonius perseuerasse dicat, quod illa sine periculo plurimum arbitrio committi non posset, sed & quod sibi priuato timeret: at legis regiae non meminit. Sed sicuti maxime dubium est, in quem primum lege regia translatum fuerit imperium, ita post deuictum Pompeium anno ferè v c c. ab urbe condita Rempublicam à Caio Iulio Cæsare occupatam fuisse, & hoc modo eum imperandi uiam aperuisse certissimum est. quapropter non ab re fuerit, aliquid de Iulio subtexere, priusquam imperatores, & Augustos commemorem, qui quintam iuris ciuilibus partem Romanis tradiderunt.

Iulius Cæsar stipendia prima Marci Thermi prætoris contubernio in Asia faciens, ab eo in expugnatione Mitylenarum corona ciuica donatus est. Tribunus militum autores restituendæ Tribunitiæ potestatis, quam Sylla diminuerat, enixissime iuuuit. Quæstor ulteriorem Hispaniam administrauit. & Iuliam amatam, uxoremq; Corneliam defunctas è more pro rostris laudauit. In petitione Pontificatus Max. Qu. Catulo & Ser. Saurico duobus potentissimis competitoribus prælatus, plura in eorum tribubus suffragia, quàm uterque in omnibus tulit. Consul legem Agrariam promulgauit, & tam senatus quàm populi diurna acta confici instituit. post Crassi & Pompeij cædem, cum quibus orbis diuiserat imperium, Dictaturam perpetuam contra leges populi Romani recepit, secundum quas nefas fuit, ultra sextum mensem hunc retinere magistratum. alioquin de Republica bene meritus est, priuatus

De lege
Regia.

priuatus enim Galliam quæ ei pro parte sua obuenerat, in prouinciæ formam redegit, eiq; nomen stipendij in singulos annos imposuit. Germanos maximis cladibus affecit, Britannos ante cum ignotos superauit, Pharnacem Mithridatis filium una acie profligauit. Pompeium olim generum in Pharsalijs, Scipionem in Africa, Pompeijq; liberos in Hispania deuicit. Ciuem maiorem uiginti annis, minorem ue x. qui sacramento non teneretur, plus triennio Italia abesse uetuit. Legem sumptuariam exercuit. parricidas bonis omnibus, reliquos delinquētes dimidia bonorum parte mulctauit. Leticarum, conchyliatæ uestis, & margaritarum usus adimens, certis ætatibus & personis, perq; certos dies eas concessit. Et suspicio magna fuit cum Cinna tribuno plebis iussisse, ut legem se absente ferret, uti uxores uiris ducere liceret, quas & quot ad procreandam sobolem cuperent. Fastos uitio pontificum per intercalandi licentiam turbatos corrigēs, annum ad cursum solis accommodauit, ut trecentorum sexaginta quinq; dierum esset, & ut intercalario mense sublato, unus dies quarto quoq; anno intercalaretur, idq; bissextum nominandum censuit, ut apud Macrobiū lib. i. Satur. legitur. Quintilem mensē e suo nomine Iulium uocauit. Ius ciuile ad certum modum redigere proposuerat, & ex immensa diffusaq; legū copia optima quæq; & necessaria in paucissimos conferre libros in animo habuit. sed eum mors præueniens male cum iurisperitis egit. Ante Cæsarem tamen C O S. Pompeius ius redigere tentauit, sed obtrectatorū metu nequaquã perseuerauit. Sexto & quinquagesimo ætatis anno Cæsar tribus & uiginti plagis confossus periit, talem exitum e sententia sortitus. nam pridie quàm occideretur, finem uitæ repentinum alijs prætulerat. Et cum ob negociorum

multi

multitudinem, & urbis magnitudinem uiui urgentium caussarum affatus denegarentur, mutua amicorum colloquia primus per epistolas secundum Plutarchum excogitauit.

Augustus filius Iulij adoptiuus, rempublicam post Cæsarem primum cum M. Antonio, & M. Lepido per x. annos tenuit, hiq; dicti sunt tres uiri Reipub. constituendæ, de qua re extant adhuc nummismata. Deinde relegato in perpetuum Lepido, cum Antonio tantum duobus annis præfuit. Postremo cum Antonius uictus mortem sibi consciuisset, per quatuor annos super quadraginta solus imperauit. Cassium & Brutum in Philippicis, L. Antonium Perusie, Sextum Pompeium inter Mylas & Naulochum deuicit. M. Antonium nauali prælio apud Actium superauit, & ad mortem eum persecutus adegit. Bella exteris aliquando per se, sæpius tamen per legatos intulit, & Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam, & omne Illyricum, multasq; alias regiones domuit, & in suam potestatem redegit. Forum, ædem Martis ultoris, & templum Apollinis in palatio, ædemq; Iouis tonantis in capitolio extruxit. Annum ab Iulio ordinatum, sed postea negligentia conturbatum rursus ad pristinam rationem Pont. Max. redegit. Sextilem mensem è suo cognomine Augustum nuncupauit. Sextilis enim prius à numero appellabatur, quod à Martio sextus esset, à quo annus, ut in Romulo scripsimus, initium cœpit. Sic Quintilis ante Cæsarem quod quintus mensis esset, dicebatur. his mensium nominibus M. Cicero in epistolis semper utitur. Sacerdotum & dignitatem, & numerum, commodaq; auxit, Patris patriæ cognomen sibi à senatu & populo delatum lacrymans recepit, & dicti sunt posthac reliqui etiam imperatores patres patriæ,

triæ, ut historiographi docent, & ferè in omnium numismate etiam sceleratissimi cuiusque uidemus. Sed Cicero consul extincta coniuratione Catilinæ primus omnium Romanorum pater patriæ merito appellatus est. Orbe pacato Ianum Quirinum clausit. Anno eius imperij altero & quadragesimo Christus dei filius è Maria uirgine natus est, si Eutropio credimus. Legem de adulterijs sanxit, sumptuariamq; & de impudicitia, de ambitu, & de maritandis ordinibus. uerba autem huius sumptuariæ legis lib. 2. post Gell. retulimus. Tempus sponsas habendi coarctauit, & diuortijs modum imposuit. Sexto & septuagesimo ætatis anno, diebus quinq; & triginta minus, uita leniter defunctus est.

Tiberius Augusti priuignus, gener, adoptiuusq; filius imperium dissimulatione diu recusatum tandem senatus precibus assumpsit. Stipendia prima expeditione Cantabrica Tribunus militum fecit. Illyricum omne quod defecerat, triennio in ditionem redegit. Bellum gerens Reticum atq; Vindelicum Alpinas gentes domuit. Pannonico bello Dalmatas, & Breucos subegit. Ducto ad orientem exercitu regnum Armeniæ Tigrani restituit. Patris patriæ cognomen, ciuicam quoq; coronam sicut imperatoris prænomen recusauit. Maiestatem pristinam & potestatem usq; adeo senatui conseruauit, ut tertia reipublicæ species reddisse crederetur, quicquid certe negocij fuit, ad Patres referrebat, omniaq; in republica occurrentia expediebant. Senatui ut senator, non ut princeps interfuit. & quum Senatusconsultum per discessionem forte fieret, sententiamq; in alteram partem in qua pauciores erant transeundo diceret, neminem qui eum sequeretur habuit, ut à Tranquillo mihi traditum est. Supra alios principes libidine flagrauit, edicto quotidiana oscula prohibuit, per senatusconsultum

tū sanxit, ut sceneratores duas patrimonij partes in solo collocarēt, debitores totidē æris alieni statim soluerent. Anno eiusdem imperij duodeuigesimo, ut Eutropius tradit, Christus à Pilato iudice pro nobis crucifixus est. Artes liberales studiosissime coluit, præsidibus onerandas tributo provinciis suadentibus, boni esse pastoris tondere pecus, non deglubere rescripsit. Et cum Tiberio Christi sanctitatem, & dogmata Pontius Pilatus retulisset, eum inter deos haberi decreuit, sed senatus non admisit. Obijt LXXVIII. ætatis anno, Imperij tertio supra uigesimum, decimo sexto Calendas Apriles. Et quia Pilati incidit mentio, hoc loco non inuoluere silentio putauī, quod Euseb. scribit Pilatum cum in multas calamitates incideret, propria se manu Caligulæ temporibus interfecisse. Aliquos tamen scripsisse Platina in Christi uita refert Pilatum sceleris in deum commissi poenituisse, ac ueniam à deo habuisse.

CAius Cæsar Drusi fratris Tiberij nepos, & Germanici & Agrippinæ filius, Caligulæ cognomen castrensi loco traxit, nouum spectaculi genus excogitans, Baijs Puteolanas moles ponte coniunxit, & aduerso habitu per hunc pontem continenti biduo commeauit. Templum Augusti, theatrumq; Pompeij absoluit. Germanicam tantum expeditionem suscepit. lupanar in palatio constituit. more comitorum reuocato suffragia populo reddere tentauit. Inuidia & libidine flagrauit, & ne leges quidem bonas aliquot tulit. uerum quasi omnem scientiæ usum iuriconsultorum aboliturus, sepe iactauit se effecturum, ne quid præter æquum respondere possent. Liberam magistratibus iurisdictionem, & sine sui appellatione concessit, cum omnibus sororibus sui stupri consuetudinem fecit. *Vixit annis VIII. & XX. triennio & decem mensibus, dieb*

diebusq; octo imperauit, & eum fuisse occisum constat. sed qualiter, duplex fama à Suetonio refertur. quadragesimam summæ de qua litigabatur, exegit, componensq; uel donans negocium, puniebatur.

CLaudius è fratre Tiberij nepos, Drusi & Antonie filius, Caliguleq; patruus, quinquaginta annos natus imperium cepit. ius dicens non semper præscriptam legum duritiam lenitatem uel mulctarum secutus est. his enim qui plus petendo apud priuatos iudices formula exciderant, actiones restituit, & ediuerso in maiori fraude conuictos pœnam transgressus legitimam ad bestias condemnauit. Expeditionem unam aduersus Britannos tumultuantes suscepit. ludos seculares ante tempus legitimum ædificauit, causatus quod ab Augusto anticipati fuissent. portum Hostiensem fabricauit. Senatusconsultum Velleianum post eius edictum ne foeminae pro uiris suis intercederent Marco Syllano & Velleio consulibus factum est. Et quum præ pudore ex continentia crepitus uentris periclitatum quendam audiuisset, edicto ueniam dare cogitauit flatum crepitumq; uentris in conuiuio emittendi, si in hac re Tranquillo credimus. Treis nouas literas commentus, numero ueterum quasi maxime necessarias addidit. Memoria adeo inualidus fuit, quod occisa eius iussu Messalina uxore, paulò post quam in triclinio decubuit, cur ipsa non ueniret, requisierit. Pupillis extra ordinem tutores dari à consulibus sanxit. Iurisdictionem de fideicommissis in perpetuum, atq; etiam per prouincias potestatibus demandauit, quæ prius quotannis, & in urbe tantum magistratibus delegabatur. pro conditione cuiusq; ciuis uacationem legis Papiæ Poppæ dedit. Latinis ius Quiritum, foeminis ius quatuor liberorum constituit. Capiti legis Papiæ Poppæ à Tiberio

Cæsare, edicto ne sexagenarij, utpote ad generandum inhabiles, uxorem ducere tenerentur Claudius abrogauit. Censor dum esse argenteum sumptuose fabricatum, ac uenale ad sigillaria redimi conciditq; coram imperauit. & uno die uiginti edicta proposuit, inter quæ hæc duo fuisse apud Suetonium legimus, ut huberi uinearum prouentu bene dolia picarentur, & nihil æque ad uiperæ morsum facere, quàm taxi arboris succum. Iram & iracundiam edicto excusauit. ex Herculanilla uxore Drusum & Claudiam, è Petina Antoniam, ex Messalina Britannicum & Octauiam suscepit, dolens quòd Neronè adoptasset. tertio Idus Oct. 1111. & LX. ætatis anno, imperij XLIII. uita defunctus est.

NEro Claudij pronepos, & filius adoptiuus, annos gerens decem & septem principatum arripuit. Anneo Senecæ in disciplina traditus, cum ad necem deinde compulit. Ianum geminum clausit. Musica & equorum studio magnopere se oblectauit. Eius temporibus S. C. Trebellianum A. Seneca & Trebell. Max. consulibus factum est. Interdixit ne cocti aliquid in popinis præter legumina, aut olera ueniret. Christianos supplicijs affecit. aduersus falsarios primus reperit ne tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina traiecto obsignarentur, & ne quis alienum scribens testamentum legatum sibi ascriberet. Litigatores pro patrocinijs certam dare mercedem, sed ærarium gratuita præbere subsellia constituit. Omnes appellationes ab iudicibus ad senatum fieri iussit, & ut solo testatorum nomine inscripto duæ primæ testamentorum cæ signaturis uacue ostenderentur disposuit. matrem lasciujs nequaquam audientem mori coëgit. Aprilem de nomine suo Neroneum appellari uoluit. sub eo triginta hominum milia uno autumno peste occubuerunt. Urbem incendens quicquid memorabile,

rabile, atq; uisendum ex antiquitate exstabat, aboleuit. ab eo Gallia, Hispaniæq; omnes desciuerunt, domum ut legimus à palatio Esquilias usq; excitauit. Iuuenales, Circenses, scenicos ludos, & gladiatorium munus ædedit, consulatus quatuor gessit. mortem sibi altero & x x x. ætatis anno consecuit, & cum eo Cesarum progenies extincta est.

GALBA Aquitaniam, Hispaniam Taraconensem, & Africam biennio priuatus obtinuit. iuri inter liberales disciplinas operam dedit, Prætor commissione ludorum Floralium nouum spectaculi genus elephantos funabulos ædedit. princeps Iunij Iceli, & Cornelij arbitrio regebatur, crudelitate, simulatq; auaritia laxatus. Pisonem Licinianum pro concione adoptauit, iura trium liberorum paucis, ac ne his quidem nisi ad certum, præfinitumq; tempus concessit. In mares libidine flagrauit, septimo mense quam imperium susceperat, annos treis super l x x. natus, occisus est.

OTHO L. Othone, & Albia natus, congruentia morum, & consuetudine mutui stupri gratiam Neronis tenuit. Lusitaniam decem annis singulari abstinentia Questorius administrauit. sperans à Galba adoptari, Pifone prælato spe frustratus, necis Galbæ autor extitit. ciuilia bella mirum in modum detestatus est. Turpi uita adolescens fuisse traditur, apud Bebriacum à Vitellio fraude superatus, octauo & quinquagesimo ætatis anno, quinto & nonagesimo imperij die pugione uitam sibi finiuit.

AVLUS Vitellius congruentia morum Caio primum, Claudio deinde, & postremo Neroni familiaris, ab iisdem honoribus & sacerdotijs auctus est. Germaniam inferiori priuatus gubernauit, sed paulopost quam in pro-

uinciam uenit imperator à militibus ibi consalutatus fuit. Tribus prælijs apud Alpes, circaq; Placentiam, & ad Castoris primo ab Othone repulsus, demum apud Bebyracum fraude eum superauit, seuus & crudelis fuit. Octauo imperij mense exercitus Mœsiarum, Iudaicus simul & Pannonius ab eo desciuerunt, & Vespasiani partes secuti sunt. Puer, adolescens quoq; omnibus probris contaminatus est. proconsul Africam administrauit. Comitia in decem annos, seq; perpetuum consulem ordinauit. gula supra modum deditus, epulas trifariam semper, quadrifariam interdum in ientacula, & prandia, & cœnas, comestationes que dispertiebat, omnibus uomitandi consuetudine sufficiens. cum fratre & filio septem & quinquaginta annos gerens oppressus est, cum octo mensibus, & uno die imperasset, ut scribit Eutropius.

Vespasianus è Sabino & Vespasia Polla ortus. Germanicam expeditionem sub Claudio obiuit. inde in Britanniam translatus duas ualidissimas gentes, & insulam Vectem Britanniae proximam in deditionem redegit. Neronis auspicijs Iudæos, qui cæso eorum præposito rebellaauerant, assumpto inter legatos maiore filio debellare cepit. Reuersus occiso Vitellio imperium nactus est. templum pacis foro proximum fecit. amphitheatrũ media urbe edificauit. sub eo SENAT. CON. Pegasianum Pegaso & Pusione consulibus factum dicitur, quod rogat hereditatem restituere, perinde quartam partem retinere permisit atq; lex Falcidia è legatis retinere concedit. Clemens usq; adeo fuit, quod iustis supplicijs illacrymauerit. notata est tamen in eo pecuniæ cupiditas. Autor senatui fuit decernendi ut quæ seruo alieno se iunxisset ancilla haberetur. Et ne creditum filiorum familias sceneratores unquam etiam post patrum

patrum mortem exigèrent. Facetus & dicacitatis plurimæ erat. neq; iocos in mortis extremo metu abnuuit. Primus è fisco Latinis & Græcis Rhetoribus annua centena constituit nulli fraude. excessit anno uitæ undeseptuagesimo, mense ac die septimo postquam nouem annis & septem diebus imperasset.

Titus Vespasiani è Domitilla filius, Tribunus militum in Germania, & in Britannia meruit. à patre relictus ut Iudæam perdomaret. Hierosolymam natali filiæ suæ cepit. Recordatus super coenam quod nihil cuiquam toto die præstitisset, apud amicos se diem perdidisse conquestus est. Ex Quæstura honore legioni aliquando præpositus Tarcheam, & Gamalam urbes Iudææ ualidissimas in potestatem redegit. equo quadam acie sub seminibus amisso, alterum cuius rector contra se dimicans occubuerat, inscendit. Ne de eadem re pluribus ageretur legibus constituit. & inter cætera de statu defunctorum queri ultra certos annos uetuit. cum patre triumphum de Iudæis egit. sub eo Vesuuus mons in Campania conflagrauit. Roma per treis dies incendium passa est, supra quàm credi posset pestilentia laboratum. Pontificatum Max. ut puras seruaret manus accepit. & quum Tiberius beneficia à superioribus concessa principibus rata haberi instituisset, si eadem sequentes dedissent, & omnes dehinc Cæsares id institutum obseruassent, ipse primus præterita omnia beneficia uno edicto confirmauit, nec à se peti passus est. Puer, adolescens, sequenti quoq; ætate corporis & animi dotibus explenduit. morte sua altero imperij anno super menses duos, diesq; x x. annos gerens duos & x l. interiit.

Domitianus Titi frater, ei tamen & patri moribus ab-
similis. Ludos sæculares ædedit, Capitolino Ioui cer-

tamen triplex Musicum, Equestre, & Gymnicum instituit. Eius temporibus S. C. cautum est, ut si quis per collusionem quicquã in libertate factum probasset, & homo de quo probaretur, servus esset, eius servus fieret qui collusionem detexisset. Cattis sponte bellum intulit, in Dacos & Sarmatas necessario expeditiones suscepit. L. Antonium superioris Germaniæ præsidem per legatos superavit. Corneliam uirginem Max. commisisse incestum convictam è more defodi imperavit. Castrari mares uetuit, reuocata coenarum rectorum consuetudine sportulas publicas sustulit. Capitolium quod rursus arserat, sub titulo tantum suo restituit. nouam ædẽ custodi Ioui, & forum & Flauiae gentis templum construxit. Dominum sese deumque appellari iussit. relictas sibi ab his hereditates quibus liberi erant non recepit. post XLV. ætatis annum & imperij quindecimum, XII. calend. octobris occisus est.

Cocceius Nerua oppido Narniensi genitus post Domitianum imperij administrationem suscepit, afflictas ciuitates releuauit, frequens iurgiorum disceptator fuit. huius abstinentiam, & moderationem cornix ante Domitiani exitum, Erunt omnia bene, in Capitolio elocuta, prædixerat. Nec defuit qui ostentum sic interpretaretur. Nuper Tarpeio quæ sedit culmine Cornix, Est bene non potuit dicere, dixit, erit. Domitianus etiam post se reipublicæ statum beatiorẽ fore præsensit, dum gibbam sibi ponere ceruicem auream enatam somniasset, si his prodigijs fas esset credere. Euentu tamen Neruæ modestia patuit, nihil unquam suo arbitrio statuit, sed principes uiros in consilium semper adhibuit. & ne serui dominos criminarentur edicto uetuit, Traianum sibi extraneum adoptans, & mox in curia Cæsarem designans, publicæ utilitati cognatos omnis postposuit. Militibus liberam & quidem perpetuo testamenti

stamenti factionem concessit, cum anteriores principes ad tempus dedissent. Mos tamen ante imperatores Romanis erat, sicut Plutarchus in Coriolano refert, ut in acie cōstituti priusquam clypeos reciperent, togasq; circuncingerent, tribus aut quatuor audientibus unā sine scriptis testamenta confierent, heredemq; nuncuparent, quod Romani in bello Volscorum Communio consulē fecerunt. Puellas & pueros egenis parentibus natos sumptu publico ali per Italię oppida iussit. quinto et L X. ætatis anno, imperij mēse sextodecimo, dieq; nono extinctus est. Multas leges tulit cum de alijs, tum maxime ne mares castrarentur, ne'ue fratris filiam uxorem ducere fas esset.

VLpius Traianus adoptiuus Neruę filius apud Agrippinam nobilem Gallię coloniam imperium suscepit, ob honorem Surę lauacra condidit. Iustitiam admodum coluit. iuris humani & diuini tam noui repertor, quā ueteris custos fuit. Eius temporibus SENAT. CON. Rubrianum Rubrio Gallo, & Celio Pisone consulibus factum est. & eo cautum, ut si hi à quibus libertatem seruis præstari oporteret, euocati à prætorē adesse uoluissent, et causa cognita prætor libertatem his deberi pronunciaisset, eodem iure status seruaretur, ac si directo manumissi essēt. Fines Romani imperij, quod post Augustum magis defensum fuerat quā ampliaturum, longe lateq; diffudit. Dacos subegit, quorum rex mortem sibi consciuit. lapideum pontem opus sane mirandum & memorabile in Istro fecit. Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam imperio Romano addidit. sub eo Tyberis inundans multas ædes demolitus est, et multis in prouincijs terræ motus, pestilentia, fames, & incēdia fuere, quibus ad uires exquisitis undiq; remedijs subuenit. Statuēs etiam ne domorum altitudo sexaginta pedes

excederet ob ruinas faciles, et sumptus, si quando talia euenirent, exitiosos. unde merito pater patriæ dictus est. Et cum homicidia, furta, adulterium, latrocinia, & id genus maleficia à Christianis uetari audiisset, Plinio Secundo quid de his facere oporteret, querenti inquirēdos non esse, oblatos uerò puniri oportere rescripsit. Gulæ paululum indulgit, in adolescentulos pronus fuit. à senatu Parthicus Dacicus, & optimus appellatus, optimi nomen libentius accepit. Obijt alui profluuio ætatis anno L XIII. cum annos, imperasset undeuiginti, menses sex & dies x v.

Adrianus Traiani principis consobрино genitus, memoria admodum claruit. Legatus prætorius Sarmatas compressit. Adeptus imperium paci operam intendens rebellantes prouincias à Traiano subactas reliquit. Tanti senatum fecit, quod cum Atutinum senatorem faceret, nihil se amplius habere quod in eum posset conferri, ostenderit. In eos qui in ciuitate sepulcrum faciunt, & in magistratus qui id patiuntur, poenam quadraginta aureorum statuit, quam fisco inferri iussit, locumq; publicari, & inde corpus transferri uoluit. Gladiatorium munus per sex dies exhibuit, mille feras natali suo ædedit. In Britannia murum qui Barbaros, Romanosq; diuideret per octoginta milia passuum duxit, Galliam peragrans in honorem Plotinæ Basilicam apud Nemausum opere mirabili extruxit. Tarracone sumptu suo ædem Augusti restituit. bellum à Parthis motum colloquio repressit. Pantheum septa, Basilicam Neptuni, forum Augusti, Lauacrum Agrippæ proprijs & ueterum nominibus Romæ instaurauit. Pontem sui nominis & sepulcrum iuxta Tiberim fecit. Oratione habita autor senatui fuit censendi pridie Idus Martias Q. Iulio Balbo, & P. Iubentio Celso C O S S. de petitione hereditatis

ditatis

ditatis, & de rebus hereditarijs distractis, de dolo præterito & fructibus. Suo arbitrio mentis impetum gubernauit, interdū seuitiam & tenacitatē, aliās clementiam & liberalitatem ostendebat, sic in alijs omnibus eum fuisse uarium legimus. Theaurum in proprio solo repertum inuentoris esse constituit, quem si in alieno fortuito aliquis inuenisset, eum soli dominum & inuentorem æqualiter partiri uoluit. Si quis in publico, cum fisco æqualiter partiretur. In x i. mense partum edi posse, causa cognita secundum Gellium decreuit, ædes ut ad aliam urbem transferrentur, demoliri prohibuit, seruos à dominis occidi noluit, sed eos per iudices si deliquissent damnari iussit. liberis proscriptorum duodecimas bonorum cōcessit. primus Cæsarium barbā summittere cœpit, ut Dion in Traiano refert in Aegypto urbem cuius Ptolemæus meminit, Antinoi nomine condidit, et alterā in Mysia, quam utpote uenandi studio intentus, uenatica Adriani septa nominauit. Sanxit ne Senator aut ab ipso, aut per alterum tributo condemnaretur. Ignotorum hereditates repudians, notorum si filios haberent non accepit. alterū & sexagesimū ætatis annum expleuit, secundo & uigesimo imperij anno uita functus.

A SEQVENTIBVS imperatoribus leges editas, quia omnes ferme sunt codici Iustiniano insertæ, satis incuriose commemorabo, continet profecto illud uolumen solas Imperatorum sanctiones. & Iustiniano autore hæc quinta tantum iuris ciuilis specie confectum est, è diuersorum scilicet Imperatorum constitutionibus, quæ tribus in codicibus Gregoriano, Hermogeniano, atq; Theodosiano continebantur. sed & ab hoc codice nouissimo ad sua usque tempora sanctiones colligi, & ibi poni Iustinianus uoluit, ut idem in epistola ad senatum de nouo codice faciendo

Codex
Iustinianus
ij.

endo scribit & quorumlibet imperatorum nomina eorum sanctionibus præmitti mandavit, & prout primus quisque fuerit. in eodem tamen titulo eiusdem sanctio præcedit. Præscriptorum autem principum nullæ, aut paucæ sunt sanctiones illi inscriptæ uolumini, ideo aliquas ex historicorum libris retuli. Tranquillum maxime secutus & Dionem quamuis iurisconsulti horum sicuti illorum sparsim constitutiones referant. Non absolum tamen fuerit si sequentium imperatorum mentio habeatur, cum ut appareat à quibus species quinta civilis discipline sit introducta, tum quod in gressu sepe de legibus existit disputatio quæ cui abroget. Et istæc hesitatio facile cessatura sit si post Capitolinum, Spartianum, Lampridium, Herodianum, Aurelium, Eusebium, Eutropium, Lætum, & alios complures reliquos imperatores, qui quintæ partis civilis scientiæ autores extiterunt, seriatim commemorauimus. quoniam posteriorum principum leges priorum sanctiones contrarias tollunt, & qui prius, quiq; posterius imperauerint, hinc cognoscetur. Hi autem imperatores iuxta autores ferè in Iustiniano concluduntur, quem propterea non excedam. quamuis sequentiū aliqui extraordinarias aliquot constitutiones ediderint, ut Iotharius qui fundi alienationem prohibuit, & Federicus pacem iuramento firmari, puberumq; sacramenta custodiri constituit. Federicus quoq; secundus pro libertate ædium sacrarum, & Henricus contra reos læsæ maiestatis, & rebelles multa sanxerunt. Iuris etiam studiosis pulcra haud dubie priuilegia à Federico concessa fuerunt.

Titus Aurelius Antoninus, Pij cognomen clementia & probitate meruit, successoribus quoque reliquit ab Adriano inter quatuor consulares quibus Italia committebatur,

batur, electus est. Proconsul Africam gubernauit. hereditates habentium filios repudiauit. Imperator constituit, ne poenae causa legatum relictum maneret, semper ea Scipionis uerba, malo unum ciuem seruare, quam mille hostes occidere, in ore habuit. Ab Adriano V. Calend. Martias in filium adoptatus est. Britannos per Lollium Urbicū legatum uicit. Mauros pacem postulare coëgit. Germanos & Dacos, atq; Iudæos rebellantes per præsides & legatos contudit. Alanos tumultuantes sepe refrenauit. in Achaia, atq; Aegypto rebelliones compressit. intra urbes sepeliri mortuos uetuit. Iudæis tantum filios suos circuncidere rescripto permisit. templum Agrippæ, & pontem Sublicium instaurauit. Puer eius temporibus biceps natus est, & stella crinta apparuit. & uno partu mulieris quinque pueri editi sunt. febre post treis atq; uiginti annos imperij inter homines esse desiit, annos septuaginta natus.

MArcus Antoninus imperium annis duodeuiginti postea tenuit. & quia philosophiam studiosissime colebat, philosophus appellatus est. Aduersus Britannos bellum gerentes Calphurnum Agricola, contra Catthos Aufidium Victorinum, & in Parthos Verum fratrem senatu consentiente misit. Leges de mensarijs & auctiōibus tulit. Senatū de cognitionibus ad se pertinētibus iudicem dedit. duodeuigesimo ætatis anno à Pio adoptatus, eius filiam duxit. L. Verum Commodum fratrem adoptiuū post mortē Pij generum statim & consortē imperij fecit, tuncq; primum Romanum imperium duos Augustos (ut Capitolino placet) habere cœpit, quos sæpenumero Diuos fratres iurisconsulti appellant, scd. Verus carminis studiosus ingenio asper, atq; lasciuus decimo imperij anno duos & quadraginta annos gerens interiit. Superstes autem Marcus

octo annis cum Commodo filio imperavit. Cassium arripientem tyrannidem superavit & occidit. de statu defunctorum queri intra quinquennium iussit. Prætores tutelarem fecit. de alimentis publicis multa adinuenit. leges de uicesima hereditatum addidit, complura de tutelis liberorum, de bonis maternis, de filiorum successione pro parte materna excogitavit, una prægrauabatur, quod multis pudicitiam Faustina uxor prosterneret, & cum e SENAT. CON. Tertulliano Adriani temporibus factam matres filiorum ab intestato morientium hereditates caperent, sub eo SENAT. CON. Orficianum Orificio & Ruffo COSS. factum est, quod liberi matribus intestatis succederent, omnis adultos posse curatores non redditis causis accipere constituit. ius autem uetus magis restituit, quam nouum fecerit. anno ætatis L X I. uitæ diem ultimum clausit.

Antoninus Commodus uenia legis Annariæ in petra-
ta COSS. ante ætatem legitimam factus, cum patre ad Germanicum bellum profectus est, patri superuiuens solus imperium tenuit. Luxuria usque adeo flagrauit, ut trecentas concubinas, totidemq; exoletos puberes in palatio habuerit. Seruiliū & Dulium Syllanos cum suis interemit. Antium Lupum & Petronios, Mamertinū Syram, filiumq; Mamertium Antonianum e sorore sua genitum interfecit, alios quoq; complures quos Lampridius in eius uita enumerat, morti tradidit. Mauros & Dacos per legatos superavit. Pannonias composuit. per duces Germanos & Britannos imperium eius recusantes sedauit. sub eius imperio stella crinita apparuit, cœlum arsit, & repentina caligo calendis Ianuarijs in circo oborta est. Ianus Geminus sua sponte apertus est. Pacis & Vestæ templa incendio

incendio consumpta, tunc fames & pestilentia sæuijt. Lætus exercitibus præfectus, & Martia eius concubina, Electus quoq; cubiculi custos, cum anno imperij tertio decimo, uitæ secundo & trigésimo per Narcissum athletam cum quo exerceri solebat, strangularunt. ueriti ne ueneno quod ei Martia dederat, uomitu eiecto conualesceret, atq; unà sicut proposuerat, omnes cædi imperaret.

Aelius Pertinax Læto præfecto prætor. autore imperator creatus est. coactus imperium suscipiens, ut aliqui scribunt, cognomen Pertinacis retinuit, Præfectus cohortis in Syriam profectus est. in Mœsia alam, & in Germania classẽ gubernauit. Prætor à Marco imperatore factus, & primæ legioni regendæ impositus Rhetias & Noricum ab hostibus uindicauit. Marci imperatoris studio C O S S. designatus, & ad Danubij tutelam profectus, inde Mœsiæ utriusq; mox Daciæ regimen accepit, bene administratis his prouincijs Syriam meruit, Proconsul sub Commodo Africam gubernauit. Imperator leges constituit, ut testamenta priora non prius essent irrita, quàm alia perfecta essent, ne ue ob hoc fiscus aliquãdo succederet. sæpe nullius se aditurum hæreditatem professus est, quæ aut adulatione alicuius, aut lite perplexa, ut legitimi hæredes & necessarij priuarentur, delata esset. Quum Commodus allectionibus innumeris præturas miscuisset, senatusconsulto Pertinax iussit, eos qui præturas non gessissent, sed allectione accepissent, post eos esse qui uere prætores fuissent. Auaritiæ suspicione priuatus nõ caruit, infimi generis, utpote Libertino patre genitus fuit. sed prosapiam moribus, & uirtute illustrauit. Altero imperij mense quinto die & uigesimo à militibus, annos gerens sexaginta supra menses septem, diesq; sex & uiginti, occisus est.

Didius

Didius Iulianus Sal. Iuliani iurisconsulti pronepos C^la^ra Aemylia, & Petronio Didio Seuero genitus prætor ante annum quàm legitima ætas sineret Marci suffragio fuit. Quæsturam suscepit, Cauchis Germaniæ populis erumpentibus tumultuarijs prouincialium auxilijs restitit. Cattos debellauit. Dalmatiæ regimen suscipiens eam à confinibus uindicauit. consulatū cum Pertinace gessit, Germaniam inferiorem, & Bithynam rexit. & cum præter alia militibus pecuniam, & se Commodi memoriam restitutum promississet, ab eis imperator appellatus est, & patris patriæ cognomen recepit. Deinde Pescennius Niger in Syria, Septimius Seuerus in Illyrico imperatores declarati, cum exercitibus quibus præsidebant, ab eo desciuere, & extemplo Seuerus Romam contendit cædem Pertinacis ulturus & Romam ipsam imperij larem occupaturus, qui ap propinquans imperator à senatu declaratus est. Et Iulianus imperio priuatus, senatus autoritate in palatio per unū è Tribunis occisus est anno uitæ sexto quinquagesimo, mensq; quarto, post menses duos, & dies quinq; quàm imperium assumpserat.

Septimius Seuerus Lepti ciuitate Africæ genitus, Quæsturam diligenter egit. Tribunatum plebis sub Marco imperatore seuerissime gessit. præturā annos gerens duos et triginta suscepit. Lugdunensem prouinciam legatus obtinuit. proconsul Siciliam & Pannoniam gubernauit, consulatum cum Apuleio Ruffino primum gessit, deinde Leto suffragante à Pertinace exercitui Germano præpositus. ab eodem ubi auditum est Pertinacem occisum, Iulianum autem cum odio cunctorum imperare, apud Carnuntum Idibus August. imperator appellatus est. Fieri senatusconsultum uoluit ne imperatori inconsulto senatu senatorem

torem occidere liceret. accusatos à provincialibus iudices probatis rebus grauitè puniuit. Aemylianum Nigri exercitus ducem apud Cyzicum, mox ipsum Nigrum in Iſtico ſinu ſuperauit, cui in ſuburbano quodam Antiochiæ latentis caput ab equitibus ipſius Seueri amputatum eſt. Filium ſuum maiorem Baſſianum appoſito Aurelij Antonini nomine apud Viminatium Cæſarem declarauit. Clodium tamen Albinum qui exercitibus Britānicis præerat, Cæſarem primum appellauit, ne dum Nigrum proſequeretur, imperium arriperet. ſed poſt Nigri exitum cum apud Lugdunum uicit & occidit, ut ſibi liberisq; ſuis Romanum imperium adiudicaret. ſub eo priuatarum rerum procuratio primum cõſtituta eſt. Parthorum rege fugato Parthicum nomen meruit, ob hoc etiam filium eius Baſſianum Antoninum, qui Cæſar appellatus iã fuerat, anno ætatis XIII. participem imperij milites fecerunt. Saluij Iuliani decreta aboleri iuſſit, ſed non obtinuit. Perſarum regem Abagarum ſubegit, Arabes in deditiõnem accepit, Britanniã muro per tranſuerſam inſulam ducto utrinq; ad finem oceani muniuit. Eboraci Britanniæ oppido anno imperij duodeuigeſimo, uite nono et octogeſimo mortem obiit, Baſſianum et Getam filios ſucceſſores relinquens.

ANtoninus Baſſianus patri Seuero ſuperſtes tanta libidine flagrauit, quod Iuliam nouercam ſuam uxorem duxerit. Alexandrum Magnum æmulari, & eius memoriã omnibus modis renouare ſtudiuit ut ſolus imperaret. Getam fratrem ſupra matris pectus in palatio interfecit. Deinde Papinianum quod parricidium excuſare noluiſſet, & alios complures occidit. Romæ Thermas nominis ſui eximias reliquit. porticum quæ geſta patris, & triumphos, & bella contineret, extruxit. A uestimento quod populo

p dederat

dederat usq; ad talos præter morem demisso, Caracallæ no-
men accepit . simulans uelle Artabani Parthorum regis fi-
liam ducere , Parthos inermes nihilq; suspicantes mali ma-
ximis cladibus affecit . sex annis solus imperauit . occisus
inter Carras & Aedessam traditur , annos treis gerens su-
pra XL.

Macrinus deinde cum Diadumeno filio quatuorde-
cim mensibus imperium tenuit . in uico quodam Bi-
thyniæ Heliogabali (ut creditum est) opera & iussu pe-
rijt . Filium in concione Antoninum appellauit , statimq;
nummus in Antiochia Antonini Diadumeni nomine per-
cussus est . fuit enim tam amabile illis temporibus nomen
Antoninorum , ut qui eo nomine non niteretur , imperium
mereri non uideretur . Macrinus crudelis , & uilissimus
fuisse traditur . contra Parthos & Armenos , & contra
Arabes non minus fortiter quam feliciter pugnavit . Adul-
terij reos semper uiuos iunctis corporibus simul incendit .
Delatores si non probarent capite , si probarent , delato
pecuniæ præmio infamia affecit . Omnia rescripta uete-
rum principum , ut iure non scriptis ageretur , tollere sta-
tuit . Nefas esse dicens leges uideri Commodi & Cara-
callæ , & hominum imperitorum uoluntates , cum Traia-
nus libellis nunquam responderit , ne facta , quæ ad gratiam
composita uiderentur , ad alias causas perferrentur . Po-
stremo eo imperante milites quidam Heliogabalum impe-
ratorem salutarunt , moti Mœsæ eius auia pecunijs , &
quod Antonini filius diceretur , aduersus quem Macrinus
exercitum duxit . sed transfugio suorum militum copijs
exui , et capi , dimisso exercitu aufugit in Bithyniam ubi ob-
truncatus est .

Varius

Varius Antoninus Caracallæ è Symiamira stupro cognita creditus filius. Heliogabalus sacerdotio Dei Heliogabali dictus est. is statim quàm senatum habuit, matrē suam ad senatum uocatam rogari iussit, solusq; omnium imperatorū fuit, ut Lampridius scribit, sub quo mulier quasi clarissima, loco uiri senatum ingressa est. unde & post eius exitum ante omnia cautum est, ne unquam mulier senatū ingrederetur. Primus mensas & capsas argenteas habuit. Cacabos etiam, uasq; centenaria argentea sculpta, & mastigatum, & pulentatum primus inuenit. Honores, et dignitates, & potestates tam per se quàm per omnes seruos, & libidinum ministros uendit. In Quirinali colle senatū, id est, mulierum senatum fecit, & Symiamirana Senatusconsulta ridicula de legibus matronarum facta sunt, quæ quo uestitu incederent, quæ pilento, quæ equo, quæ asino ueherentur, quæ carpento mulari, quæ boum, quæ sella ueherentur, & quæ aurum uel gemmam in calciamentis haberent, quæ cui crederent, & quæ ad cuius osculum uenirēt. matri in omni facinore audiens tumultu militari cum ea interijt anno uite sextodecimo, imperij tertio, remotis quatuor mensibus. Herodianus tamen sex annis eum imperasse scribit. Heliogabalo uerò templum Romæ constituit. Amphitheatrum post exustionem instaurauit, et lauacrum quod Antoninus Seueri filius inuico Sulpitio coeperat, perfecit.

Alexander Mammæ filius, Heliogabali consobrinus et adoptiuus filius, cum mortuo Macrino Cæsar fuisset appellatus, Augusti nomē & imperiū interfecto Heliogabalo recepit. Patris patriæ nomē, et ius procōsulare, Tribunitiamq; potestatem, & ius quintæ relationis deferente senatu uno die assumere coactus est. Christum inter deos recipere,

eiq; templum facere uoluit. Artaxerxem Persarum regem potentissimum, qui cum septingentis elephantis, mille & octingentis curribus, centum & uiginti milibus equitum ad bellum uenerat, superauit. De iure tractans doctos ac literatos tantum in consilio adhibuit. si uero de re militari negocium incidisset, senes admittere milites, maxime qui historiam callerent, disquirens quid in huiusmodi causis ueteres fecissent. Hanc sententiam. quod tibi non uis alteri ne feceris: adeo dilexit, quod & in palatio & publicis operibus perscribi eam iuberet, & eam sepius in ore haberet, cumq; aliquem emedaret, eam per praekonem dici uoluit. Thermas nominis sui iuxta eas, quae Neronianae fuerunt dictae, aqua inducta constituit. Caracallae Thermas additis sortitionibus perfecit. Alexandri habitu plurimos nummos & quidem electreos aliquot, sed plures aureos percussit. Statuas summorum uirorum undiq; translatas in foro Traiani collocauit, leges in annos firmauit, easq; diligentius seruauit, innumeras de iure populi & fisci leges constituit. nullam constitutionem sacrauit sine uiginti iuris peritis, & alijs quinquaginta doctissimis disertissimisque uiris, ut non pauciores in consilio sententiae essent, quam quae senatusconsultum facerent. & id quidem ita faciebat, ut per sententias singulorum iretur, ac scriberetur quid nam quisq; dixisset, dato tamen spacio ad disquirendum, cogitandumq; priusquam dicerent, ne de rebus ar- quis ex tempore respondere cogerentur. Occisus est in Gallia post quatuordecim annos quam imperium assumpserat, annos undetriginta, menses treis, & septem dies natus. alij cum sex & uiginti annos duntaxat uixisse scriptum reliquerunt.

Maximinus

Quod
hij
no vis
fury,
alterj
ne fe-
ceris.

MAximinus posthabita Senatus auctoritate Imperator August. ab exercitu appellatus, patre & matre Barbarus fuit, bellum aduersus Germanos feliciter gessit, filiū Cæsare fecit. Auaritia & crudelitate flagrauit, unde Gordianus senex Imperator cum filio primum in Africa, deinde Romæ à senatu appellatus est, quibus mortuus anno imperij primo, menseq; sexto Maximino profligando, qui urbem cum seueritate & odio petebat, eo quod à senatu hostis adiudicatus esset, Cælio Balbino, & M. Clodio Pupieno imperium Patres decreuere, Gordianumq; paruulum prædicti Gordiani senis nepotem filia ortum Cæsarem jecerunt. Et M. Pupienus grauitate ac seueritate uenerabilis contra Maximinos patrem & filium copias eduxit, eiusq; auspicijs Maximini anno imperij tertio manu suorum militum apud Aquileiam periere. Balbinus autem nobilitate familiæ, fortunisq; & clementia satis cognitus, urbis gubernationem suscepit, & istius bonitate tumultus inter ciues ac prætorianos in urbe exortus est. ambos altero imperij anno milites occiderunt.

Gordianus tertius collegis superuiuens, qui Cæsar eatus fuerat, à militibus immo ab uniuersis Imperator appellatus fuit. Misithei filiam duxit, cuius consilio & prudentia bello Persico Saporem regem fugauit. Vrbes Nisibin & Carras recuperauit, remq; publicam & imperium quadiu socer uixit, bene administrauit. Post eius mortem Philippus à Gordiano exercitui præficitur, mox militum acclamationibus, quòd fame sub Gordiano laborarèt, cum iuvene imperauit, tandem dolo eius adolescens anno uitæ undeuigesimo, imperij sexto sublatus est. Senatus de morte Gordiani certior factus Marcum quendam imperatorem legit, cui subita morte in Palatio decedenti Seuerus

P 3 Ostilia-

*Vsq; ad Gordianij ipsius Romanorū maxime
floruisse uidetur, si tanta sc. crudelitate et grauitate.
hucusq; ad summum suū hāc legē permissis uidetur.*

Ostilianus etiam patrum lectione successit. Sed medicis male eius uenam soluentibus statim occubuit.

M Ar. Iul. Philippus primū ordinis comes, deinde dux, mox prætorio & exercitiū præfectus fuit. Postremo post Marci & Ostiliani exitum imperator à senatu confirmatus, percusso cum Persis fœdere Mesopotamiam, & Assyriam hostibus reliquit. In Arabia cuius erat, urbē sui nominis Philopolim construi iussit. Philippum filium consortē imperij fecit. Sæculares ludos, & munera Circensia ædidi, in quibus feræ complures datæ fuerunt, quas Blondus secundo Romæ triumphantis libro, & Pompo. in Cæsariibus enumerant. Contra Scythas qui urbes et agros Romani imperij uastabant Marianum quendam misit, deinde eo militari seditione cæso, Decius belli expeditionē suscepit, quem inuitum milites Illyriciani imperatorē fecerunt. Philippus autem pater aduersus Decium copias educens, à militibus Veronæ cæsus, & filius Romæ à prætorianis occisus, anno imperij septimo, uel ut alijs placet, quinto expirarunt, filio annos duodecim agente, qui ab aliquibus Gallus Iulius Saturnius appellatus est. Primus Imperatorum Christiani nominis cultum Philippus suscepit, ut Blondus in decadibus, & Roma triumphante, Eusebius & alij scriptum reliquerunt, alioquin malus, & ex obscuris natus est parentibus.

Decius Bibali inferioris Pannoniæ urbe natus, patris patriæ cognomen accepit. eligendi censorem senatui potestatem fecit. Valerianum sexaginta sex annorum, qui postea imperauit, exercitui præfecit. & cum repugnans aliquando ab exercitu Illyriciano imperatoris nomen accepisset, senatui in cunctis obsecutus, ab eo August. appellatus est. Bonitate Traianum adæquauit, optimi principis nomen iudicio

iudicio senatus meruit, appellatusq; est Imp. Cæs. M. Q. Traianus Decius Aug. sub eo Christiani supplicijs afflicti fuerunt. Decium filium cogente senatu Cæsarem fecit, cum quo aduersum Scythas profectus, Galli Treboniani proditione altero imperij anno in uoragine paludis perijt. Decius uero filius bello interijt. apud Lætum tamen alium inuenies Deciorum exitum.

Galli Treboniani imperium memoriae tradidit pestilentia decem annis eius sceleribus, ut creditum est, per totum orbem diuagata. nam Christianum dogma simultate & odio persecutus est, & proditione imperium arripuit. cum Scythis foedus percussit, & eis tributi nomine bis centum drachmas auri exhibuit, unde sub eo primum libero potentatu Po. Ro. tributa pependit, si Læto in Cæsaribus credimus. C. Vib. Volusianum filium consortem imperij fecit. horum temporibus Hostilianus à senatu imperator factus statim pestilentia occubuit. Milites etiam Aemylianum sub his principibus imperatorem in Mœsia fecerunt, contra quem ambo profecti apud Interannem cæsi altero imperij anno fuerunt, Aemylianus quoq; manu suorum militum quarto imperij mense, annos gerens quadraginta inter homines esse desijt.

Licinius Valerianus splendidissimis natus parentibus, Lannis ut Aurelio uisum est, quindecim imperauit. Gallienum filium Augustum & Cornelium Valerianum Gallieni filium Cæsarem fecit. Valerius bellum in Mesopotamia gerens à Sapore Persarum rege captus ignobili seruitute consenuit. regi enim equum ascendenti incuruatus seruebat. Interea Gallienus rempublicam administravit, & in Cornelij mortui locum Salonianum alterum filium subrogauit. poëta clarissimus, ad libidinem pronus, & uoluptati deditus

fuit, unde Tyranni numero triginta imperium inuaserunt, quod uarijs pro locis creator Pollio commemorat. Contra Aureolum profectus qui Mediolani imperium inuaserat, anno imperij x v. opera militum Aureoli annos natus quinquaginta interijt.

Claudius deinde imperium suscepit prælijs, ac rerum penuria Sarmatas, Getas, Scythas, & Quados superauit. leges optimas dedit. Antonini pietatem habuit. alter in prouidentia Augustus fuit, nam & post mortem imperio prouidere uoluit. Syrmij etenim Pannoniæ ægrotans prius quàm oppeteret, conuocatis Tribunis, Ducibus, & Præfectis de eligendo Imperatore concionatus est, longaq; oratione Aurelianum probauit. Daciam recuperauit. altero imperij anno sua morte interijt, cui frater Aur. Quintilius patrum autoritate, & omnium iudicio succedens x v i i. imperij die ferro perijt. Lætus tamen scribit accepto nuncio quod exercitus Aurelianum Imperatorem legisset, auditoq; quod militū gratiam idem teneret, Quintilium uenis solutis occubuisse.

Avrelianus ut quidam scriptum reliquerunt, modicis ortus parētibus, imperium triennium ab inuasoribus recepit. muros urbis supra alios principes ampliauit. Vltimus Romanorum principum prisco more triumphū speciosissimum egit, ut e Blondo in Roma triūphante didicimus. clementia quæ principum uirtus peculiaris esse debet, caruit. Sub eo apud Dalmatas Septimius Imperator effectus, statim manu suorū occubuit. Monetarios uitiatis pecunijs, & Felicissimo rationali interfecto in urbe rebellantes uictos summa crudelitate compefcuit. Leges plurimas & quidem salutare sanxit, quas in codice Iustiniano legimus. porcine carnis usum populo instituit. anno imperij sexto

sexto supra sex menses interfectus dolo Amanuensis sui medio itinere, quod Heraclea Bizantium ducit.

P Annius Tacitus uir consularis, & Senio insignis, sine exercitu à senatu imperator & Augustus appellatus fuit. sobrietatem præ se tulit, lectione librorum se oblectauit, memorabile nihil egit. Febre præuentus, qua sexto imperij mense interiit.

M Annius Florianus Taciti frater, uix duobus mensibus imperium tenuit, Tarsi, ut Pomponius & Vopiscus scribunt, militari seditione, siue ut Aurelius magis probat, incisis à seipso uenis, effuso sanguine extinctus est postquam exercitus Probum militiæ peritum imperatorem elegisset.

A Vrelius Probus contubernio Valeriani Galliceni, Aureliani, atque Claudii secundiore quidem fortuna priuatus stipendia fecit. Sarmatas contudit, Tyrannos extinxit, Saturninum in oriente imperatorem effectum occidit. Proculum & Bonosum qui Agrippinæ pariter imperium arripuerant, oppressit. Gallos & Pannonios uineas habere permisit. orbe pacato dicere solebat, milites minime necessarios fore, cum desunt hostes, quæ uox plurimum obfuit, Syrmi enim tumultu militari sexto imperij anno, mensèq; quarto occisus est.

C Arus Narbonæ genitus, Carinum & Numerianum filios Cæsares fecit. à Persis Mesopotamiam recepit. qui longius cum copijs progrediens fulminis ictu altero imperij anno periit, cum dico Carum Narbonæ genitum, Eutropium sequor, nam Flavius Vopiscus uarias de eius patria opiniones refert. Filiorum minor Numerianus orator clarus, & poëta non uulgaris prodicione Apri soceri sui uolentis imperium occupare occisus est. Carinus autem

frater plurimos innocentes fictis criminibus occidit, adulter frequens, & iuuentutis corruptor fuit. Sabinum Iulianum inuadentem imperium in campis Veronensibus peremit. nouissime à Diocletiano quē uictor exercitus de Perside rediens imperatorem legerat, post multa praelia uictus ad Murtium occubuit, cum à militibus fortissimis quos habebat, desertus fuisset. Aurelius sui tribuni dextera, cuius uxorem polluisse dicebatur, eum fuisse occisum scribit.

Diocletianus utroq; parente ignobilis. Salonis Dalmae ortus, profligato & Cæso Carino Augustus appellatus est. ut pacem citius ubiq; redderet, Maximianum Augustum fecit, euersis duabus urbibus quæ Busiris et Copos apud Ptolemæum & Strabonem appellantur, superatoq; Achilleo Aegyptum pacauit. Diuinos honores imperatoribus Augustis dare præcepit, & adorari uoluit, edito sanciens uti omnes sine generis discrimine prostrati pedes exoscularentur. Maximianus autem ferus natura, flagrās libidine, ortu agresti, tumultus in Gallijs deleuit, quos Amandrus & Elianus sub specie tyrannidis excitauerant. Pacatis Gallijs in Africa Gentianos deuicit. Ex Eutropia Maxentium & Faustam genuit, et an Maxentius filius Maximiani fuerit, an ab uxore suppositus aliorum iudicio relinquimus. Pullulantibus per uaria loca nouis bellis Diocletianus Galerium Maximinum adoptauit, & ei desponsata Valeria filia Cæsarem fecit. Maximianus quoque Constantium adoptauit, et Cæsarem fecit, eiq; Theodoram priuignam repudiata uxore prima matrimonio iunxit. Postmodum isti seniores Aug. annuente senatu Constantium & Galerium Augustos appellauere, uictores anno imperij duodeuigesimo triumphum egerunt. sibi Iouij & Herculij cognomina indiderunt. Eodem die Diocletianus Nicomediæ,

die, Maximianus Mediolani anno imperij uigesimo se principatu abdicarunt. Diocletianus duodeooginta annis, & Maximianus LX. uixerunt. orbis tandem inter Constantium & Galerium diuisus est.

Constantio Gallia, Hispania, Italia & Africa obuenerunt, Galerio Illyricum, Græcia & Oriens. Constantius patrem habuit Eutropium Romanum, & matrem Claudiã Augusti Claudiij filiã, sexaginta ferè Alcmatorũ millia Cæsar adhuc in Gallia extinxit. natura mitis. diuitiarumq; spretor fuit. gratiam omnium tenens Italiam & Africam Galerio reliquit, ab uno tantum ponderis nequaquam sustineri posse existimans. Eboraci undecimo imperij anno morbo perijt. Constantinum Anaballianum, Constantium & Constantiam è Theodoro liberos reliquit. Galerius adhuc Cæsar amisso ferè toto exercitu primum à Persis sub Diocletiano repulsus, post hosteis innumerabili strage afflixit, fines imperij longius produxit. Augustus Seuerum & Maximianum adoptauit, & Cæsares creauit. hunc orienti, illum Italiae, & Africae quas Constantius reliquerat, præfecit. sed dum Seuerus Roma abesset, prætoriani Maxentium non abnuente senatu ibi imperatorem fecerunt, aduersus quem Seuerus in urbem redijt, sed hosti impar aufugit. & cum Galerium peteret qui in Illyricis erat, captus Rauennæ cæsus est. Galerius intellecta morte Scueri Licinium consortem imperij fecit, et eo in Illyrijs relicto Romam contra Maxentium proficiscebatur. Sed superari timens, in Illyrium redijt, postea morbo perijt, cum solus biennio, & cum Cæsaribus & imperij consorte sexdecim annis regnasset. Licinius Collegæ superstes primum Illyrijs, deinde oppresso Maximiano, qui contra eum res nouas in oriente moliebatur, Orienti præfuit, et Constantiam

Constantini sororem duxit.

Constantinus in Britannia natus patre Constantio, matre Helena, quam uir coactus repudiauerat, ut Theodoram Herculeij priuignam duceret. Sub Galerio Sarmatas adulescens profligauit & cæcidit, eorum ducem catenatum ad Galerium duxit. Gallias, Hispaniasq; & Alpibus Cottias testamento patris relictas accepit, & ibi in eius locum imperator creatus est. Calumnias seuerissimis legibus sedauit. multas enim leges, quasdam è bono & æquo, pluresq; superfluas, nonnullas seueras eum rogasse Eutropius scribit. Maxentium apud pontem Miluium, & Licinium uecordem & septuagenarium quartodecimo imperij anno superauit. E Fausta Herculei Constantinum, Constantem & Constantium, Helenam & Constantiam suscepit, quum iam è concubina Crispum genuisset, quem cum Constantino, & Licinio iuniore sororis filio Cæsarem fecit. sed Faustæ insidijs Crispus, & Licinius iunior paulò post sublati fuerunt. Dalmatium Anaualliani fratris filium deinde Cæsarem fecit, & unà cum filijs heredem instituit, sed Constantij factione Dalmatius in Oriente à militibus anno imperij tertio occisus est. Constantinus refectum Byzantium de suo nomine Constantinopolim appellauit. & cum antea lege Seueri sub iure Perinthiorum esset, eam titulis & honoribus, ut Romam haberi, lege censuit. Agros, uillas, & oppida quæ ad uictum emeritorum contributa erant, ad hæredes transire in initio imperij sanxit, quum prius è ueteri consuetudine ducibus, Tribunis, Comitibus, & Præfectis, qui pro augendo imperio consenuerant, agri, uillæq; darentur, ut suppeterent necessaria, quoad uiuerent. multis prælijs Sarmatas uicit, Gothos, & omnem ferè Scythicam gentem superauit. Anno imperij trigesimo altero,

tero, detractis duobus mensibus, ætatis sexto supra sexagesimum mortem obiit. in extremo uitæ tempore ab episcopo Nicomediensi, ut apud aliquos legitur, baptizatus fuit. orbem hæredibus testamento diuisit. quidam filios sorte diuisionem fecisse tradunt.

Constantinus siue sorte, siue patris testamento Gallias, Hispanias, Alpes Cottias, Orchades, Britannias, Hyberniam, & Thylen habuit. Constanti Italia, Africa cum insulis Illyrij, Macedonia, Achaia, Peloponnessus, & Græcia obuenerunt. Constantius orienti & Thraciæ præfuit. sed Constantinus parte sua non contentus, nouam à fratribus diuisionem per legatos petijt, & cum id obtinere non posset, bellum ciuile mouit. quem milites à Constante ut eum repellerent missi anno tertio quàm imperium susceperat, ætatis quinto & uigesimo apud Aquileiam confoderunt. Constans biennio fratris partem assecutus, Magnentij fraude annos natus triginta, tertiodecimo imperij anno occisus est, & coniurati milites Magnentium imperatorem salutauerunt. Eodem quasi tempore Britannion ab Illyriciano exercitu Mursæ, & Nepotianus Romæ à populo & Mirmillonibus imperatores creati fuere. è quibus Nepotianus Augustorum sororis filius ab Heraclide fautore Magnentianæ factionis, duodetrigesimo imperij die obtruncatus est. Britannion autem posita purpura Constantium uenientem contra Magnentium adiit, ueniamq; ab eo in Thracia impetrauit, ab quo de hoste imperator multa intelligens, paulopost Magnentium quinquaginta annorum, duplici prælio superatum mortem sibi consciscere quadragesimo imperij mense coëgit. Syluanum Bonitij filium, qui Cæsar à militibus appellatus fuerat, altero imperij mense per legatum occidit. In uictu parcissimus, phasianum, & su-

men

men conuiujs lata lege inferri uetuit. Iudicia iuste & moderate tractasset, si secretiores aulicos non habuisset. Gallū patruelem desponsata ei Constantia sorore Cæsarem pronunciauit, cum deinde per Seruiantum & Pentadium sustulit, cum quatuor annis in oriente imperasset, & undeuiginti uiuisset. Constantium nunquam spuisse legimus. propter Saporem qui Amydum iam solo æquauerat, siue ut Gallijs subueniret, Iulianum Galli fratrem adoptauit, & Cæsarem fecit, & Helenam sororem eidem matrimonio iunxit. Iulianus autem belli expeditionē contra Germanos qui Gallias uastabant suscepit, & re prospere gesta primo imperator, deinde renuens Augustus ab exercitu fuit appellatus. quod Imperator Constantius moleste tulit, & de Oriente ubi Parthicis prælijs occupatus erat, contra eum ueniens anno ætatis quarto & sexagesimo, imperij nono atq; trigesimo Mopsocrenis uita decepsit. uerum Cæsar quindecim annis, & Augustus octo annis solus, cum fratribus atque Magnentio sexdecim fuit.

Iulianus Constantinopoli, patre Constantio Constantini fratre, & matre Basilina genitus, cum quinq; annis & quinq; mensibus Cæsar iam imperasset, imperium omne solus uno anno, & septem mensibus tenuit. Prope Argentoratū urbem Galliæ totum ferè Alemanorum exercitum sub Constantio perdidit. Clemens, moderatus, & liberalis fuit. memoria plurimum ualuit, gloriam appetijt, susceptam Christi fidē abnegans librū sicut Blondus in Roma triumphante scribit, impietate & eloquentia redundantem in Christi dogmata composuit, Christianorum tamen sanguine abstinuit. Bellum contra Persas gerens, duos annos supra triginta natus occisus est, in interitu omnes scriptores, quos legerim, discordant. Am. Marcell. eum iura quædam sublati

sublatis ambagibus correxisse, & quaedam non molesta condidisse scribit, nisi quod Christianos rhetores & grammaticos docere uetuit.

Iuianus puer non parum liberalibus artibus profecit, insignis corpore, & literarum studiosus fuit, milites Iuliani amore eum principem legerunt. nam & una litera immutata idem nomen uterq; habuit. Tribus annis & triginta uixit, & septem mensibus imperauit. pacem cum Sapore necessariam quidem, sed ignobilem mutatis finibus, ac nonnulla Romani imperij parte tradita, fecit. quo autem mortis genere occubuerit, uariatum est, ut scribit Eutropius.

Valentinianus imperij curam electione militum suscepit. Primo ualentem fratrem, deinde alterum e filijs Gratianum Augustos appellauit. uultu decens, solers ingenio, grauis animo, & sermone cultissimus fuit. Duas uxores duxit, & ideo lege omnibus concessit, ut impune duo matrimonia suscipere possent. ex Iustina uxore Valentinianum, Gratam, Iustamq; & Gallam filios genuit. Saxones oceani accolae domuit, Alemanos attriuit, & uictor ad oceanum peruenit. Huius autem Valent. tempore Thirminus apud Mauritaniam regnum inuadens à Theodosio patre eius qui postea imperauit, praelio uictus extinctus est. Valentinianus legatos Quadorum audiens, subita ira accensus in morbum incidit, quo post undecim annos, mensis octo, diesq; uiginti quàm imperium assumpsisset, annos quinque & quinquaginta natus interiit. Valens in oriente imperans post fratris obitum possessoribus bene subuenit, iudices raro mutauit, huius & fratris temporibus Procopius Tyrānidem arripiēs sublatuſ est. Valens Gotthos qui Procopio auxilia miserant, uictos Thracia exegit. Atalaricum

ricum Grutigrorum regem in fugam uertit. sed infeliciter cum Gotthis dimicās exercitu spoliatus, in casulam sagitta consauciatus aufugit, ubi anno imperij quarto, uel ut alijs placet tertio decimo, menseq; quinto igne absumptus est. Gratianus Syrmij genitus in parte occidentali regnauit. triginta Alemannorum milia apud Argentariam Gallie oppidum bello extinxit. Scythas siue Tartaros coërcuit. fratrem suum Valentinianum Iustina matre editum consilio Microbaudis Tribuni consortem imperij fecit. & cum bellis ubiq; imminentibus extremum periculum nomini Romano instare animaduerneret, Theodosium ut Oriēti præesset Augustum pronunciauit, eum Gratianopolim Allobrogum ciuitatem edificasse uocabulum ostendit. Et dum ociosus suos idem negligeret, & Alanos ueteri ac Romano militi anteferet, à Maximo qui apud Britanniam tyrannidem arripuerat, anno ætatis undetrigesimo interfectus est, quum annos octo, quinque & octoginta dies cum Valentiniano patre imperasset, & cum patruo & fratre treis, cum eodem fratre & Theodosio quatuor, & his omnibus accedente Arcadio cum sex menses imperium tenuisset.

Valentinianus post Gratiani fratris exitū etiam à Maximo Italia exactus, Theodosiū qui Oriētem regebat, petijt, ab quo in occidentis regnum paruis copijs restitutus, octauo imperij anno fraude Arbogastis Halanorum præfecti noctu in cubiculo strangulatus apud Viennam exspirauit. Hi duo Theodosius & Valentinianus simul imperātes, ita demum ualere constitutionem sanxerunt, si præcedente omnium procerum & senatus approbatione dictata esset, deinde prædictis iterum congregatis recitata, & approbata, receptaq; foret. Iuris quoq; formulas & non impetrata actionis exceptionem post Constantinum sustulerunt.

Theodo

Theodosius patre Theodosio, matre Thermantia natus, genere Hispanus, postquam cum Gratiano & Valentiniano quatuordecim annis imperasset, ambobus superuiuens orientis & occidentis imperium solus triennio obtinuit. genus à Traiano, cuius moribus & corpore similis fuit, eum traxisse legimus. Hunos & Gotthos diuersis praelijs subegit, cum Parthis cæterisq; nationibus multis pacem poscentibus fœdus percussit. Maximum qui Gratianum interfecerat, & Valentinianum Italia & Gallijs abegerat, apud Aquileiam occidit. Victorem quoq; à Maximo patre effectum Augustum sustulit, ministeria lasciuia, psaltriasq; comessationibus adhiberi lege prohibuit. consobrinarũ nuptias tanquã sororum uetuit, quod Augustus ab Anthenodoro doctore philosopho acceperat, Theodosius à natura habuit. nam iram commemoratione quatuor & uiginti Græcarum literarum cõpescuit. Eugenium qui defuncto Valentiniano opera Arbogastis factus imperator fuerat cum Honorio filio superauit & occidit. Arbogastes uerò de se supplicium sumpsit. Theodosius annos agens quinquaginta Mediolani excessit, superstitionibus filijs duobus Arcadio & Honorio, quos è Flacilla susceptos consortes imperij fecerat.

Arcadius Constantinopoli, Honorius Romæ imperauit. Ille ex Eudoxa Flacillam, Martinam, Pulcheriam, & Theodosium, quem fecit Cæsarem, suscepit. Caiantum bellum ciuile mouentem auxilio Gotthorum inter Hellepontum & Cheroneffum nauali praelio superatum interfecit, tertiodecimo imperij anno Theodosium in imperio orientis relinquens, uita deceßit. Honorius fratri superstes, cum quo imperium tredecim annis tenuerat supra biennium, quo cum patre imperauerat, cum Theodosio iu-

niore sexdecim annis orbi præfuit. Rhadagasium Gotthorum regem in Hetruria subegit, & eum à fuga retractum in carcere strāgulavit. cuius successor Alaricus urbem anno ab urbe condita, millesimo centesimo sexagesimo quarto coepit, & Placidiam magni Theodosij è Galla secunda uxore filiam abducens, eam Athaulfo propinquo suo uxorem dedit. Athaulfus autem post Alarici mortem copijs præpositus moribus Placidie uxoris lenitus, cum Romanis foedus percussit, & ob id à militibus sublatus est, & Placidia Honorio iubente Constantio nupsit, quem Augustus Cæsarem & consortem imperij fecit. Is ad liberandas Gallias missus Constantinum hostem ad primos impetus compressit. post cuius obitum Placidia, & eius filij Valentinianus, & Honorius iussu imperatoris pulsati fuerunt, & ab Theodosio Arcadij filio qui Orienti præerat, hospitalliter excepti fuere. mox Honorius febre decessit.

Theodosius iunior Honorio superuiuens cum post patris excessum iam sedecim annis cum patruo regnasset, duo de quinquaginta annis Orienti præfuit. huius temporibus Gensericus rex Vuandolorum post cædem multorum Carthaginem occupauit. Et cum nouæ leges quæ à Constantino Cæsare & reliquis succedentibus primordium acceperant permixtæ, & inordinatæ essent, ad similitudinem Gregoriani & Hermogeniani in codicem unum Theodosius sub proprio cuiusque imperatoris titulo eas disposuit, quem de suo nomine Theodosianum uocauit. uita defunctus Constantinopoli cum patre sepulturæ traditus est.

Valentinianus post Honorij mortem ab Theodosio iunioris Cæsar factus, & cum matre Romam missus Ioannem factione Castini imperatorem factum, & Africam

eam sibi uendicantem oppressit, deinde acclamatione totius Italiae Augustus ab Augusto appellatus est. Theodosij filiam in uxorem duxit. huius temporibus Attila toto potitus Septentrione iterum rediens primo Galliam, deinde Italiam ferociter inuasit, & super alias ciuitates Aquileiam euerit. & tunc excitata à fugientibus Attilam Venetiæ fuerunt, de qua re Blondus Forliuensis lib. 2. decadis primæ, & in eo lib. qui de origine & gestis Venetorum inscribitur multa memorat. Cum hoc Attila Aetius copijs Romanis prepositus, apud Tholosam committens, cæsis ex utroque exercitu CC. uel ut alij scribunt, centum & sexaginta quinq; fortissimorum hominum milibus uictor euasit, unde huius Aetij successus metuens Valentinianus illum occidit. Non longe post Romæ in campo Martio Transtyla, & Ostyla milites Aetij ipsum imperatorem confoderunt, cum annis undetriginta cum Theodosio, quinq; & uiginti, & quatuor cum Martiano imperasset. Maximinus post arripiens imperium à populo Romano membratim tertio imperij mense cæsus est. Eudoxa Valentiniani uxor, ut mariti cædem ulcisceretur, Gensericum regem ex Africa uocauit, qui urbe spoliata Eudoxam cum duabus filiabus abduxit, quarum altera Thrasimundo eius filio nupsit.

MArtianus fauente Pulcheria Arcadij filia Orientis imperator post Theodosij excessum creatus est, super annos quatuor quibus iam imperium cum Valentiniano tenuerat collegæ superstes, biennio imperauit. Cum Vuandalis fœdus percussit. quietis amator quietum habens Orientem. arma nunquam nisi prouocatus commouit, dicere enim solebat, quàm diu in pace uiuere liceret, non oportere arma sumere. Constitutiones partim à se, partim ab alijs quibusdam imperatoribus factas in unum composuit,

liberq; ex iisdem factus Martiani constitutiones appellatus est, quæ interdum in ciuili disciplina referuntur. Ab hominibus ut quidam tradunt, conspiratione Asparis sexto imperij anno ereptus est. Martiani temporibus sequenti mense, quam Gensericus ab urbe recesserat, Pop. Ro. cum toto senatu Auitum patritium Romæ imperatorem legit. sed mox interijt.

Leo factione Asparis Imperator Orientis & Augustus appellatus, post cædem Ardaburij Cæsaris nepotem è filia Zenonis filium Leontem Cæsarem fecit, quidam filium scribunt. decimosexto imperij anno interijt. Leo secundus anno imperauit, uterq; morum non belli studiosus fuit. Hoc tempore occidentis imperium à multis lacertum traditur, nam Maiorianus post Auitum ibi quatuor annis imperauit. Seuerus Rauennæ imperium arripiens postea totidem annis imperium tenuit, & Biorgum Alano- rum regem superauit. Seuero Anthemius successit, quo extincto cum Rhicimere genero, Olymbrius à Leone à Constantinopoli missus, ut uiuenti Anthemio regnum auferret, sine controuersia successit, & septem mensibus Occidenti præfuit, mox Rauennæ exercitus Glicerium imperatorem salutauit, sed à Nepote sororis filio regno pulsus anno sequenti fuit, Nepos deinde ab Oreste pulsus Salonis cæsus expirauit, demum interfecto Oreste & Augustulo eius filio, qui iam post patrem Romæ imperabat, in exilium misso, Odoacer rex Gotthorum Romæ & in tota Italia XIII. annis regnauit.

Zenon Isauris Ciliciæ humilibus natus parentibus, uultu & moribus deformis fuisse traditur. Leone mortuo orientis nactus est imperium. sub eo Ilus cum Leontio in oriente ciuilem motum fecerunt. Basiliscum qui

M. fil

M. filium Cæsarem fecerat, rediens è Syria Zenonius suum repetens in Cappadociam cum filio relegauit. qui Lemnis fame consumpti fuerunt. tandem xviij. imperij anno Zenon exceßit. ab eo Theodoricus rex Ostrogothorum Italiam, si Odoacrem superaret, impetrauit, qui hostem prælio uictum interfecit, & ingenti lætitia ab obuiio senatu populoq; Romano exceptus est.

A Nastasius Diocorus in diuinis non trinitatem, sed quaternitatem esse adorandam præcepit, quapropter cælesti ira quarto & uigesimo imperij anno, mense altero, dieq; undetrigesimo, annos natum supra octoginta fulminis ictu eum perijsse credibile est. Hic ne incursiones Mysorum, Bulgarorum & Scytharum cum fierent, obesse possent, à mari ad Zelibriam longum murum deduxit. Ad eum Priscus Longinum Selymantheum catenis uinctum misit, & sub eo Athenodorus tyrannus in Cilicia extinctus est. grauem motum Vitaliani militiæ magistri nongentis pondo auri sedauit.

Iustinus Thrax utroq; parente ignobilis, à teneris annis suum, deinde bouum custos fuit. Comes ordinis postea factus, mortuo Anastasio emptis caute suffragijs imperator electus est. Amantium, Andream & Theocritianum insidias parantes è medio sustulit, nono imperij anno calend. Aprilis Iustinianum sororis suæ filium adoptauit, & consortem imperij fecit. quarto post mense deceßit. In occidente Theodoricus imperans triginta Gallorum milia prælio interfecit. in carcere Ioannem Pont. Max. mori Romæ coegit, inde subita morte pericens regnum Atalarico è filia nepoti tradidit.

Iustinianus animum reparando imperio admouens, Persas, qui se in fines Romanorum effuderant, per Belisarium

rium coërcuit, Africam ab Vuandalis capto Gelimere rege eorum recuperavit. & cum in Italia Atalarico defuncto quarto imperij anno Theudatus succedens militari deinde tumultu interiisset, & Vitigitis regnum accepisset, Belisarius qui iussu principis contra Theudatum ueniebat, successorem hostis profligato exercitu Vitigitem fugauit, & ab Ioanne magistro militiæ captus primo Romanus, deinde à Belisario Constantinopolim ductus est. Paulopost Gotthi, ductore Totila, populationibus & incendijs totam Italianam infestam reddiderunt. aduersum quos Narses mandato Iustiniani expeditionem suscipiens, felici usus uictoria, omneis penè deleuit, resq; gladio transfixus interiit, Totila enim paulò antè Gallia Cisalpinae subueniens à Lögobardis interfectus fuerat, ut Lætus tradit, sed alij Narses eum occidisse scribunt. Iustinianus insuper usus præcipue opera Triboniani, Theophili, Dorothei, Ioannis Leontij, Thomæ & aliorum doctissimorum hominum infinitos iure consultorum libros in quinquaginta digestorum redegit. Imperatorum sanctiones duodecim libris complexus est. Authentica & quatuor institutionum libros ædidit. Et non immerito circa iuris ordinationem Iustinianus prædictorū opera usus est, quoniã, si Valle credimus, nec iura nec forsitan latinæ literas nouit. tū quia semper in Græcia uixit, tū quia sæpe dominus Iustinianus, ut e numismate eius apparet, dici uoluit, ut quidam alij Cæsares fecerunt, quod à iure Romano est alienissimum, & character ipse literarum, figurarumq; illorum temporum numismatis Gotthicum magis quàm latinum redolet. Dominum dictum satis certa probatione tradiderim, nactus numisma eius aureum iam exolescentibus literis hoc nomine inscriptum, quinimmo, ut Suidas scriptum reliquit, sicut orthodoxus, id est rectæ fidei, ita

omnium

omnium literarum expers, atq; etiam analphabetus Iustinianus fuit, qui ne elementa quidem literarum nouit, & cum aliorum, tum Triboniani doctrina in dictando iure, & redigendo usus est, qui fuit natione Græcus, ut apud eundem Suidam legimus, omnis quidem religionis, sed Christianæ potissimum spretor, & adeo assentator & uaffer fuisse dicitur, ut Iustiniano persuaserit, ne mortem timeret, quodq; cælum cum corpore ascenderet. Questuram apud hunc principem gessit, tantaq; ingenij doctrina polluit, ut omnes suæ tempestatis homines eruditionis nobilitate longe superauerit. alioquin auaritiæ ita deditus fuit, quo lucri gratia ius semper uenale habuerit, legesq; prout amici res postulabat, & latas reuocauit, & nouas tulit. fuit sermone blandus & suauis, auaritiæq; notas doctrinæ præstantia facile uelabat. summos nactus honores leui tandem morbo decessit. Augustus ab Augusto, & Cæsar ab Iulio, sicut cæteri imperatores, Iustinianus dictus est. Augusti etiam nomine imperator autore Capitolino, significabatur. sed cum quis Cæsar creabatur, tanquam principis filius & designatus Aug. maiestatis hæres creabatur, ut Ael. Spartian. memoriæ tradidit. Sic apud Gallos primus regis filius, & patri successurus à Delphinatu cui præest Delphinus appellatur, unde mihi origo est & armipotens tellus est, foederisq; quod cum aliquo semel percussit, tenacissima, Roma olim in coniuratione L. Catilinæ M. Cicerone & Antonio C O S S. explorauit. & hodie Gallici reges experiuntur, qui cum nostrorum militum gregariorum opera utuntur, tum Patricios & nobili genere natos in omni dimicatione habent. Hinc cognitu est facile quid nam in codice A. & C. significant. Augustus enim & Cæsar illis literis significatur. & quot A. erunt & C. tot imperatores

Triboni
anus

illius constitutionis autores fuisse ostenditur, nam & duos,
 & treis semel imperasse suprà retulimus. Has tamen notas
 Tribunianus sibi pro uoluntate formauit. nam si publicas
 sequi uelimus, de uno imperatore Aug. & Cæs. in pluribus
 Aug. & Cæs. dicendum foret, ut apud Probum legitur, &
 hoc numismata, & inscriptiones antiquæ probant. Mutata
 tamen eligendi imperatoris forma, uariata fuit horum uo-
 cabulorum significatio, porrò ut Platina septem Germaniæ
 principibus eligendi imperatorem, Gregorius quintus de-
 inde potestatem dedit, qui prius Cæsar ac Romanorum
 rex appellaretur, ac tum demum imperator & Augustus
 haberetur, si eum Ro. Pont. confirmasset. Iustinianus
 duodequadragesimo imperij anno non sanus
 mente decessit. Reliquos imperatores
 commemorare non est animus, eo
 quod ab eis nullas aut paucas
 constitutiones habeamus,
 & ut in principio
 diximus, refer-
 re solos
 iuris
 ciuilibus autores uo-
 luimus.

F N 3.

AYMARI RIVAL

LII ALLOBROGIS HISTORIAE IURIS CIVILIS

LIBER V.



RESPONSA PRUDENTVM.



LATA qualibet iuris ciuilibus parte, interpretatio prudentum necessaria esse cœpit. nam ius constare non potest nisi sit aliquis iurisperitus per quem quotidie in melius produci possit, Vnde podijt responsum prudentum, quod qui profitentur Iurisconsulti nominantur. Quod autem hoc ultimum sit ueluti interpretatio superiorum, liquido de posterioribus Iurecōsultis probatur, qui principum autoritate responderunt. nam præscriptas quinq; iuris ciuilibus partes referunt, & post in ff. libris quinquaginta ex eorum uoluminibus à Triburiano confectis interpretantur. Aliorum uerò iurisperitorū nihil extat, quorum tamen plures testimonio Pomponij scripserunt. Sed ostendamus quod nouissimi Iurisconsulti omnes iuris ciuilibus patres referunt & interpretantur, id primo in leg. XII. tab. Vlp. septimo & 40. ff. li. demonstrat. nam cum una XII. tab. lex neq; soluere tignum furtiuum ædibus uel uineis iniunctum, neque uendicare permitteret, eam Vlpianus interpretans tigni appellatione contineri scribit omnem materiam ex qua ædificium constat, uineæq; necessaria. Aliam populi legem idem de iniurijs interpretatur, cum è lata lege Cornelia, dicit eam è tribus causis dedisse actionem, & paulò post inter uerberationem &

pulsationem legis Corneliæ uerba discrimen assignat. Idem Ulpianus de adulterijs hæc legis Iuliæ uerba, incontinenti filiam occidat, diligenter explicat. De plebiscitorum enodatione à Iure consultis facta Caium ad legem Aquilam audiamus, qui relatis Plebisciti uerbis subiicit apparere seruis nostris legem Aquiliam ex æquare quadrupedes. An autem à Iureconsultis Senatusconsulta explicentur cum aliis, tum Ulpianum uide præmissa senatus decreti Velleiani uerba decimosexto ff. lib. subtiliter explanantem, uerba itaq; senatusconsulti omnia discutit. Prætorum etiam edicta Iurisperiti interpretantur, in qua re Ulpiani de dolo sufficere ait toritas, qui dolum malum (cuius Prætor meminerat) Seruium inducit diffinientem, & quæq; deinceps prætoris uerba ordinatim exponit. Postremo circa edictum emergentes quæstiones, ut in alijs contingit iuris partibus decidit. Quod etiã principum decreta Iuriconsulti enodent, Martianus autor est, relato Diui Pij rescripto de quæstione subiiciens qualiter accipi deberet, & Ulpianus de testamento militis præmissa rescripti imperatorum uocabula enarrat. nam militem appellari dicit à militia, id est duricia, quam pro nobis sustinet. Pariter alia rescripti uocabula interpretatur, quinimmo & sua, & antiquorum scripta Iureconsultorum iuniores legum periti inuicem referunt. Paulus enim de emptione dicit Labeonem scripsisse obscuritatem pacti nocere potius debere uenditori qui id dixerit, quam emptori. Idem lib. 5. supra quadragesimum Catonis scripta in probationem & discussionem suæ interpretationis adducit. tu ipse similia perquires. Sed ne in occulto habeatur quod paulò ante diximus, aliquot scilicet Iureconsultos imperatorum autoritate respondiisse, aliquot uerò sine illorum autoritate responsa dedisse, subiungã quod apud Pomponiũ

de hac

de hac re legimus. Scribit enim Iureconsultos omneis non eandem respondendi potestatem habuisse, nam ante tempora Augusti publice respondendi ius non à principibus dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant. neq; responsa utiq; signata dabant, sed plerunq; iudicibus ipsis scribebant, aut testabantur qui illos consulebant. Diuus postea Augustus, ut maior iuris auctoritas haberetur, primus constituit ut ex auctoritate eius Iureconsulti responderent, et ex illo tempore peti hoc pro beneficijs cœpit. & ideo optimus princeps Adrianus, cum ab eo prætorij uiri peterent ut sibi respondere liceret, eis rescripsit, hoc non peti sed præstari solere, & ideo si quis fiduciam sui haberet, & se populo respondere oblectaret, ad respondendum se præpararet. Et ex horum tantum uoluminibus & scriptis confici libros ff. L. Iustinianus mandauit, ut in epistolis duabus refert, quibus ius uetus enucleatur, & quidem ex immensis eorum libris optima quæq; et necessaria excerpta sunt, atque in quinquaginta ff. libros redacta. unde sæpenumero unius Iureconsulti uerba è superioris dicto ibi dependent, & frequenter sequens absoluit quod præcedens promittit, quasi præsentis, & unâ, & tempestate eadem responderint, quod nequaquam uerum est, cum diuersis fuerint temporibus, et separatim respondendo libros unusquisq; concrisperit, & interdum antiquioris Iureconsulti uerba ab iunioris et posterioris uerbis dependent. quod è Tribuniani ordinatione, & sociorum effectum est, quibus huiusce rei curam Iustinianus hac lege demandauerat, ut Iureconsultorum nomina minime tacerent, numerumq; librorum sine notis scriberent, unde quælibet lex siue magis responsum excerptum fuisset, ut sciremus quæ uerba cuiusq; iuris prudentis essent,

à quib

à quibus uel eorum libris extracta forent. sic in epistolis eiusdem Iustinianus asserit, & è multis Pandectarum locis apparet. Politianus enim legem quartam de uerbo. obligationibus ad unguem ex ipsis Pandectis exscriptam ad Bolognum misit, quæ Pauli lib. 12. ad Sabinum fuit. Legimus quoque ex Scaeuolæ primo responsorum lib. aliquid in titulo, ne quid in loco pub. fiat. Sic passim in ff. reperies. De his autem tantum Iureconsultis attingere est animus, qui imperatorum autoritate responderunt, & iuris scientiam in hac ultima Reipub. specie professi sunt, unde quicquid de iisdem memoriæ tradiderunt Pomponius, Iul. Capitolinus. Ael. Spartia. Lamprid. alijque historiographi commemorabo, & è libris Pandectarum quinquaginta, & in eas Iustiniani præfatione. Præterea ex Aul. Gellio & Politiano ad Modestum singulorum operareferã. Duos tamen præmittã, quos principum autoritate non respondiisse haud leui coniectura existimo, quoniam eorum scripta quæ plura erant, Tribunianus in digesta non congesit. Præterea Massurius Sabinus à Pomponio primus traditur qui autoritate imperatorum publice scripserit, & is horum alteri successit. ab his tamen duobus cæteri profluxere, quapropter ab iisdem non ab re exordium sumetur. Atteius Capito horum prior est, & Labeo Antistius alter.

Capito Iuris priuati & publici secundum Gell. peritissimus, Offitium audiuit. consul Augusti temporibus fuit, commentaria ad x i i. ta. sicut ducentos sexaginta coniectaneorum libros reliquit. septem de Pontificio iure, & librum singularem de officio senatorio conscripsit. & de iure sacrificiorum decem, ut apud Macrob. Satur. lib. 3. reperimus. Commentariũ de iudicijs publicis composuit, ex quo sextum libri decimi capitulum Gellius excerpfit, cætera

tera in eo scripta desiderantur.

Labeo Antistius Trebatio operam dedit. Capitonis sententia legum atq; morum Po. Ro. iurisq; ciuiliſ doctus apprime fuit, quam disciplinam, ſi Gell. lib. 13. credimus, principali ſtudio exercuit, & conſulentibus de iure publice reſpondit, cæterarumq; bonorum artium non expertus fuit. nam in Grammaticam ſeſe, atq; Dialecticam, litterasq; antiquiores, altioresq; penetravit. Latinarum uocum percallens origines, rationesq;, ea præcipue ſcientia ad enodandos pleroſq; iuris laqueos utebatur. Annum ita diuiſit ut Romæ ſex menſibus cum ſtudioſis eſſet, & ſex menſibus ſecedens cõſcribendis libris operam daret. Quadraginta (uel ut alijs magis placet) quadringenta uolumina conſcripſit. inter quæ commentaria ad x i i. tab. & 40. poſteriorum libros composuit, qui poſt eius mortem æditi ſuerent. libros triginta ad Prætoris peregrini edictum reliquit, & urbani complures, & octo pithanon, id eſt credibilium ſeu ueriſimilium. Hunc hominem uſq; eo nimia libertas agitauit, ut apud Gellium lib. 13. Capito retulit, quod Diuo Auguſto iam principe, & Rempub. obtinente, ratum tamen penſumq; nihil haberet, niſi quod iuſtum, ſanctumq; eſſe in Romanis antiquitatibus legiſſet, Vna lectione ſenatus cum triumuirum ageret M. Lepidum hoſtem olim Auguſti tũc regnantis legit, ut eſt apud Tranquillum in Auguſti uita ſcriptum. interrogantiq; Auguſto an eſſent alij digniores, ſuum quenq; iudicium habere reſpondit. Hi duo iureconſulti ut Pomponius ſcribit, primum duas ſectas fecerunt. nam Atteius Capito in his perſeuerabat, quæ ei tradita fuerant, at Labeo ingenij facilitate fretus, & fiducia doctrine plurima innouare inſtituit. Angelus Politianus ad Modestum è Labeonis huius ſcriptis Pandectas etiam confectas

fectas esse putauit. Sed magis è Labeonis Domitij operibus de quo paulò post dicetur, fuisse pro aliqua parte compositas crediderim. Idem etiam inter ff. autores Q. Mut. Scaeuolam Pon. Max. et Gallū Aquiliū, si Iustiniano credimus, male enumerat. nam in epistola secunda qua ius uetus enucleat, Iustinianus Pandectas iussu suo esse compositas scribit è Iurisconsultorum libris, quibus exponendarum legum auctoritatem imperatores præbuerant, & longe ante imperatores Augustos Scaeuola & Gallus fuerunt.

MAssurius Sabinus Atteio successit, et cum in Tiberij Caesaris familiaritatem deuenisset, ab eo ut populo responderet, obtinuit. hoc tamen illi ab Aug. prius concessum fuerat. In equestri receptus est ordine, annos quasi agens quinquaginta maxima laborans inopia à suis auditoribus sustentatus est. Duodecim memorabilium libros reliquit, iurisq; ciuilibus tres commentarios de indigenis, & librum cui titulus est de furtis, composuit. de hoc Iureconsulto Persius meminit cū quinta Satyra ait, Vindicta postquam meus à prætore recessit. Cur mihi non liceat iussit quodcūq; uoluntas, Excepto si quid Massuri rubrica uetauit.

Nerua Labeonem secutus est, & Tiberij Caesaris familiarissimus fuit: hi duo adhuc Capitonis & Antistij discordias auxerunt.

CAius Cassius Longinus Sabino successit, Tuberonis filia Seruij Sulpitij nepte genitus est. consulatum cum Quartino temporibus Tiberij gessit. Plurimum in ciuitate auctoritatis habuit. de ciuitate expulsus à Cesare in Sardiniam fuit. postea reuocatus à Vespasiano uita defunctus est.

Proculus Neruæ successit, auctoritate suprà omnes sui temporis ualuit, ideo appellati sunt partim Cassiani,
part

partim Proculiani, qui in discordijs à Capitone coeptis & Antistio perseuerarunt. horum tamen dissensiones Iurisperiti sequentes terminarunt, ut ex eorum scriptis in libris Pãdectarum adhuc uidere possumus. nam alteram opinionem penitus interdũ abijciunt, & mediam aliquando uiam eligunt. Paulus enim Sabini & Casij reprobata opinione, ueriores esse Neruæ & Proculi sententiam lib. ff. duodeuigesimo affirmat, ut sine nummis dici uenditio non possit. Et Caius mediã eligẽdo uiaẽde acquirẽdo rerũ dominio scribit uerius esse quod Sabinus & Casius senserũt, ut species ex aliena materia facta sit materiæ domini, si ad eandem materiam reuer ti possit. quod si non possit reuert i, uerius esse dicit quod Proculo & Neruæ placuit, ut facientis sit illa species. cum utriq; indistincte loquerentur. horum similia passim in ciuili disciplina inuenies.

Nerua filius Proculi temporibus fuit. libros de usucapionibus conscripsit. et Vlpiano autore annum agens decimum septimum publice de iure respondit.

Casius alter longinus ex equestri ordine ad Præturã usq; peruenit. huic orbat o luminibus Nero obiecit, ut apud Suetonium reperimus, quod in uetere gentili stemmate C. Casij percussoris Cæsaris imagines retinisset, & hac ratione eum interemit.

Caelius Sabinus Casij auditor, plurimum temporibus Vespasiani potuit. librum de edicto ædiliũ curulium conscripsit.

Neratius Priscus cum Antonio cõsulatum gessit, Patri Celso operam dedit. Traianus princeps amicorum consensu eum successorem usque eo fertur destinasse, ut Spartianus in uita Adriani scripsit, ut ei aliquando prouincias commendauerit si quid fatale sibi contigisset: mox

Nera

Neratius in Adriani consilio fuit, cuius plura aliquando extabant uolumina. Mambranarum libri septem, questionum tres, quinque; responsorum. è Plautio decem, & quatuor epistolarum: regularum quoque; quindecim libros, & unum de nuptijs composuit.

Iulius Iubentius Celsus filius, consul cum Neratio Marcello, & iterum cum Iulio Balbo Diui Adriani temporibus fuit. undequadraginta digestorum libros, & institutionum uiginti conscripsit, tredecimque; libros epistolarum edidit.

Domitius Labeo, & Aristo eodem tempore fuerunt, quorum prior librum epitomarum, & complures epistolarum libros composuit. Aristo autem uolumina de Decretis Frontianis scripsit, fuitque; iureconsultus Gellij sententia nequaquam indoctus, in cuius libro furta omnia apud ueteres Aegyptios fuisse licita & impunita idem Gell. lib. x i. se legisse scribit.

Arrianus insigni iureconsultus complures libros praesertim de re militari reliquit. & sunt qui putant hunc Adriani & Antonini fuisse temporibus, et eum esse Arrianum qui gesta Alexandri regis scripsit, quod nullus ideo improbare potest, quod iureconsulti ius non historiam scribant, si aliud non afferat. nam Gell. Antipater, & plures alij iureconsulti historias conscripserunt, sed & carmina Modestinus edidit.

Caius Cassius etiam diui Adriani temporibus fuit, ad quem sua aetate mulierem cum quinque; liberis, quos uno fetu enixa erat perductam fuisse dicit. Decem iuris civilis libros scripsit.

Tertullianus quatuor libros questionum, & singularem de castrensi peculio composuit. consul fuit, &

ab eo

ab eo senatusconsultum Tertullianum, quod Adriani temporibus factum est nisi fallor, nomen habuit.

Salvius Iulianus Iurisconsultus, urbis præfecturam, & bis consulatum gessit. Didij Iuliani qui post Pertinacem imperium adeptus est, proavus fuit. Sub Adriano perpetuū (ut Euseb. & Eutrop. scribunt) edictum composuit, & adco prætoris edictum diligenter ordinavit, quod secundū Marcellum caput, siue novam clausulā introduxit, quæ ad perfectionem edicti prætoris, quo liberi emancipato patri coniunguntur, desiderabatur. Adrianus princeps cum iudi caret, Salviū in consilio habuit. eum deinde Antoninus Pius, postremo diui fratres in magna ueneratione habuerunt: huius apud Pomponium illa extat memorabilis sententia. Et si alterum pedem in sepulcro haberem, adhuc quidem addiscere uellem. Nonaginta digestorum libros, de ambiguitatibus unum, ad Minutium sex, & quatuor ad Vrseum reliquit.

Volusius Matianus iuris ciuili sciētiam Antonini Pij temporibus professus est. huic Imperator Mar. Antoninus philosophus in ciuili disciplina operam dedit. librū questionum, fideicommissorum sexdecim, & publicorum quatuordecim conscripsit. Sed Martianum pro Matiano sepe uitio librariorum legimus.

Valens his temporibus claruit, & septem fideicommissorum libros composuit.

Iabolenus Iurisconsultus fuit celerrimus, & eo in iure Antoninus Pius usus est. E Cassio quinque libros, epistolarum quatuordecim, & quinque ad Plautium reliquit.

Marcellus hoc tempore, necnon sub Seuero floruit. octo super xxx. ff. libros, respōsorū unum, quæstionum duodetriginta composuit. duos de iure conscripsit

militari, sex ad leges, & quinque de officio consulis. Fuerunt & Antonini Pij temporibus alij Iurisperiti, Vindius Verus, & Ulpianus, non leues iuris autores, sed qualiter eorum libri inscribantur non satis constat.

MAuricianus sex libros ad leges. & Tarruntius Paternus militarium quatuor composuit.

Serbidius Scæuola iuris peritissimus fuit, eo M. Antonius philosophus Imperator usus est, præcipue cum iura dictauit. Papianum & Seuerum qui post Iulianum præfuit imperio docuit. Viginti libros quæstionum, responsorum sex, quadraginta digestorum, & regularum quatuor scripsit. de quæstione familie unum, & unum librum quæstionum publice tractatarum reliquit. dicere solebat ius civile uigilantibus scriptum esse.

Terentius Clemens, et Menander per hæc tempora florere. hic libros militarium quatuor, ille uiginti ad leges reliquit.

Martianus duos libros de appellationibus, & sexdecim institutorum scripsit. eiusdem esse quinq; alij libri feruntur, qui regularum inscribuntur. libros etiam singulares tres cõposuit, quibus est titulus de delatoribus Hypothecariæ, & ad S. C. Turpilianum. Martianus à Didio Iuliano imperatore occidi iussus est. Sed euadens, postea de consilio Alexandri principis fuit. duos libros publicorum iudiciorum etiam reliquit.

Aemylus Papinianus Prætorio præfectus Imperatori Seuero amicissimus, & ut aliqui tradunt affinis etiam per secundam uxorem fuit. eum iuris asyllum & doctrinæ legalis thesaurum Spartianus uocauit. undeuiginti libros responsorum, quæstionum sex & triginta cõposuit. duos definitionum libros, & de adulterijs, ædilium quoq; curulium singularem

singularem librum, & duodeviginti digestorū reliquit. eum occidi, eo quod parricidium excusare nolūisset imperator Antoninus inſit, multi enim dicūt Baſianum Annum Antoninum occiſo fratre illi mandaſſe, ut & in ſenatu per ſe, & apud populum facinus dilueret, Papinianum autem non tam facile parricidium poſſe excuſari, quā fieri reſponſiſſe. Sixti pontificis temporibus urna argentea his uerbis inſcripta Romæ à quodam ruſtico inuenta eſt, Aemylj Papiniani iureconſulti, & præſecti prætorio requieſcunt hic oſſa, cui infelix pater & mater ſacrum fecerunt mortuo anno ſue ætatis XXXVIIII. Alij antiquorum marmorum inſcriptiones ſecuti ſic dicunt, Aemyljo Paulo Papiniano præſecto prætorio Iuriſconſulto, qui uiuit annis trigintaſex, diebus decem, menſibus tribus. Papinianus Hoſtilius, Eugenia Gracilis turbato ordine in ſenio heu parentes fecerunt filio optimo. Dum hæc contemplor, & iureconſulti iſtius opera cogitabundus perſpicio, exemplo Cæſaris apud Magni Alexādri imaginem ingemiſco, quaſi ingenij qualitatem pertæſus, quod in ætate qua iam Papinianus magnam, ut eius uitæ breuitas docet, ſuorum librorum partem conſcripſiſſet, nihil in iuris diſciplina memorabile egerim. annum enim quintum & uigeſimum gero, & conſultores nullos adhuc admiſi, prohdolor nec reſponſis humanam ſocietatem iuui.

MAcer duos libros militarium composuit, publicorum duos, de officio præſidis duos, Icaſton duos, & duos libros de appellationibus ſcripſit Arcadius unum de teſtibus, & Ruſſinus duodecim libros regularum composuit.

PApyrius Fronto quatuor reſponſorū libros reliquit. Publius Furius Anthianus pater quinque libros edicti

r 2 composuit,

composuit, & Maximus ad legem Falcidiam libros ædedit.

CAius duos & triginta libros ad edictum provinciale scripsit. ad leges quindecim, ad edictum publicum quindecim, aureorum septem. huius etiam dodecadelti, hoc est XII. tabularum sex libri erant, & tres institutionum. de manumissionibus tres, fideicommissorum duo, & quatuor singulares. quorū primus regularum inscribitur, alteri de casibus est titulus, tertium dotalitiorum, & quartum hypothecariæ uocauit. Inter homines Bassiani Antonini temporibus fuit. libros septē de origine uocabulorū etiā reliquit.

Sext. Cæcilius in disciplina iuris atq; legibus populi Romani noscendis, interpretandisq; scientia, usu, & auctoritate illustri fuit. huius et Phauorini philosophi elegans de legibus XII. tabu. disceptatio apud Gell. lib. uigesimo legitur. libros de significatione uerborū quæ ad ius ciuile pertinerent, scripsit, & Hadriani tempore floruit.

Iulius Paulus Iaboleno & Papiniano operā dedit Præturam primum nactus, deinde consulatum gessit. Præfectus ab Heliogabalo, siue ut alijs placet, ab Alexandro factus apud eum in magna ueneratione fuit. Treis & uiginti responsorum libros conscripsit. quæstionum sex supra uiginti, ad edictum octoginta. treis & uiginti breuium. ad Plautium duodeuiginti. ad Sabinum sexdecim, decem ad leges. Regularum septem, sententiarum uel factorum sex. sententiarum rursus quinq; ad Vitellium quatuor, ad Neratium quatuor, fideicommissorum tres, de adulterijs tres, decretorum tres. Manualium tres, de officio proconsulis duos. ad legem Iuliam duos. Institutorum duos, de iure fisci duos, ad legem Aeliam Sentiam tres. libros præterea singulares reliquit. regularum rursus. regularum tertio. de officio præfecti uigilum. de poenis paganorum de officio præfecti

præfæcti urbi. de pœnis militum. de usuris, de iure codicillorum. de officio prætoris tutelaris. de pœnis omnium legum. de gradibus & affinibus, de excusationibus tutelarum, ad S. C. Orficianum. ad S. C. Tertullianum, ad S. C. Velleianum, ad S. C. Libonianum, seu Claudianum, ad S. C. Syllanianum ad regulam Catonianam, de extraordinarijs criminibus. de hypothecaria, ad municipalẽ de publicis iudicijs. ad orationem diui Seueri. de inofficioso testamento, de secundis tabulis, ad orationem diui Marci. de tacito fideicommissio. de septemuiralibus iudicijs. de iuris & facti ignorantia. de iure singulari, ad legem Falcidiam, ad legem Velleiam, ad legem Cinciam. de portionibus quæ liberis damnatorum conceduntur, de adulterijs, de iure libellorum, de iure patronatus, de testamentis, de instructo & instrumento, de appellationibus, de iure patronatus quod ex lege Iulia & Papia uenit. de actionibus. de intercessionibus foeminarum, de concurrentibus actionibus. de legibus. de libertatibus dandis. de donationibus inter uirum & uxorem. de legitimis hæreditatibus, & de S. C. Librum etiã singularem cui est titulus, de uarijs actionibus, & octo digestorum libros composuit. Patauinus fuit, eiusq; statua, ut audio, adhuc extat in patria, quam tanti uiri doctrina & amore captus uiserem, nisi Cæsaris & Gallici regis milites Patauium obsiderent.

Hermogenianus sub Alexandro principe iuris scientiã professus, sex iuris epitomarum libros reliquit. Iustus autem uiginti constitutionum libros conscripsit.

Pomponij complura extabant aliquando uolumina. uiginti epistolarum libri, ad ædem octoginta. ad edictum quatuor & octoginta. insuper unde quadraginta libros lectionum ad Q. Mutium scripsit. ad Sabinum quinque su-

pra xxx. uariarum lectionum xv. librum singularem regularum etiam reliquit. quadraginta digestorum de stipulationibus decem & septem Senatusconsultorum quinque. ad Plautium septem Enchiridij duos. & quinque fideicommissorum. Discendi cupiditatem solam uiuendi rationem optimam existimauit, eamque in Octauum super septuagesimum aetatis annum perduxit in terris, Alexandri temporibus agens eius familiaris & ferè socius fuit.

Africanus non leuis in ciuili professione autor, Alexandro Imperatore familiariter usus est. Instructus à Papiniano, nouem libros questionum reliquit.

Fabius Sabinus patrem Sabinum insignem uirum & consularem habuit, ad quem Vlpianus, Paulus & Pomponius libros scripsere. Papinianum audiuit. de cōsilio Alexandri principis fuit, tris responsorum libros reliquit, ad Vitellium uiginti digesto. & ad edictum praetoris urbani quinque. tres libros praeterea iuris ciuilis scripsit. epistolarum octo, & ex Proculo singularem.

Celsus non minorem auctoritatem quam Sabinus apud Alexandrum habuit, & similiter operam Papiniano dedit. ad Sabinum tris & triginta digesto. libros, questionum unum supra uiginti conscripsit.

Dominus Vlpianus praefectus praetorio, Alexandri familiarissimus, tutor & scrinij magister fuit. cum uerticem legum, & nobilissimum, & egregium Modestinus appellauit. Decem libros pro tribunali, & totidem de officio proconsulis reliquit. ad edictum tres & octoginta, uiginti ad leges, septem regularum, fideicommissorum sex. eius praeterea esse libri quinque de adulterijs feruntur. de appellationibus quatuor. ad Sabinum unus & quinquaginta. opinionum sex. de officio consulis tres. responsorum duo.

duo .sex de censibus .institutorumq; duo .septem etiam li-
 bros singulares composuit, quos scripsit de sponsalibus .de
 officio præfecti vigillum . de officio prætoris tutelaris , de
 officio quæstoris . regularum rursus, de officio præfecti ur-
 bi . de officio curatoris rei publicæ . libros publicarum disce-
 ptationum , ad perennem scientiam & memoriam pariter
 edidit . Tyrionum colonia originem traxit, quæ sæculorum
 antiquissima, armipotēs, fœderisq; quod cū Romanis per-
 cussit, tenacissima fuit.

Florentinus his temporibus sicut Triphonianus flo-
 ruit, quorum alter duodecim libros institutorum, &
 alter unum & viginti disputationum composuit.

Venucleius Alexandro gratissimus, & Papiniani au-
 ditor . decem libros actionum conscripsit . unum de pœ-
 nis paganorum, & publicorum treis . præterea sex libros
 quibus est titulus de interdicitis . unde viginti stipulationum,
 & quatuor de officio proconsulis ædedit.

Callistratus quatuor libros de iure fisci reliquit . de co-
 gnitionibus sex . institutorum treis , questionum tres,
 & sex edictorum monitoriorum . hunc sicut alios complu-
 res Alexander in magno honore habuit.

Herennius Modestinus Papiniani discipulus, consula-
 tum Alexandri temporibus gessit . Maximinum iu-
 niorem docuit . librum utilissimum qui de excusatione tu-
 tele & curæ inscribitur, è Græco in Latinum sermonem
 transtulit, & ubi aliqua ad transferendum inepta cogno-
 uit, ipsa legum uerba apposuit, quare hæc Trebonianus ex
 illo Modestini libro ad conficiendam magnam tituli par-
 tem de excusationibus tutorum excerpfit, multi imperitia
 græci sermonis perperã intelligunt . Politianus tamē nō mo-
 do Modestini illius tituli partē transtulisse inficiatur, uerū

etiam indocto cuiquam totius tituli translationem ascribit, quam esse ineptam affirmare audet. Modestinus etiam decem libros regularum conscripsit. excusationum sex, duodecim Pandectæ, differentiarum nouem. eius præterea esse undeuiginti responsorum libri dicuntur. de pœnis quatuor singulares, de præscriptionibus, de legatis & fideicommissis, de testamentis, de ritu nuptiarum, de enucleatis casibus, de differentia dotis, de manumissionibus, de inofficioso testamento, & de eurematicis. metrice argumenta, quæ hætenus Ouidio Nasoni ascriptimus, in libros Vergilij fecit, si Benedicto Philologo Florentino ad probationem citanti codicem Maronis uetustissimum, credimus. Fuere & Alexandri tēporibus Hermogenes, Alphenus iunior, Mæ-tianus, Proculus & Iulius Frontinus, qui omnes splendidissimo Papiniano operam dederunt, & Alexandri Imperatoris familiares, & socij fuerunt, & plurimos in iure ciuili libros conscripsere, sed qualiter eos inscripserint, adhuc in occulto est apud me. Te admonere uelim præmissos ferè omnes Iureconsultos, qui sub Imperatore Alexandro inter homines fuerunt, Seueri & Antonini temporibus etiã claruisse, ut ex eorum scriptis liquet. Sed cuius temporibus sequentes Iurisperiti ius ciuile professi sint, non satis constans est opinio.

Quint. Saturninus decem libros ad edictum reliquit. & Saphus duos questionum libros conscripsit. Adrianus uerò duos libros de interdicitis composuit. ast Puteolani extabant aliquando assessorum libri.

Sextus Pedius de stipulationibus libros conscripsit, & ad edictū quinque & uiginti, in quorum ultimo ut Paulus refert de bonorum possessionibus, notas non esse literas nostras scribit, quo argumento scribentes syllabas, aut dictiones

diſtiones compendarijs notis conſutantur, cum è literis ſyllabæ, è ſyllabis diſtiones fiant, ſicut oratio ex diſtionibus conſicitur. Sed hæ notæ non ſunt literæ, ergo ex eis ſyllabæ non diſtio fieri poſſunt. Hoc uitio cum in alijs uocabulis, tum his in tribus, quod, quæ, quam, quãdo non inſlectuntur, noſtræ ætatis homines laborât, de quo in noſtris de orthographia libris quos adoleſcens adhuc conſcripſi abunde diximus. Et memini patrem meum Guidonem Riualliũ iureconſultũ (dum allata à tabelione quorundam iuriſperitorum frequenter notis utètium reſponſa præſes Marcellino politanus legeret) ſubridendo dixiſſe, notas multorum imperitiã excuſare, qui in Barbariſmum aut Solœciſmum cum alijs modis, tum ſi promiſcue literis aut caſibus uterentur, incidere dubitantes notas libenter uſurpant. & apud ueteres uſus notarum nullus erat. Sed ut celeriter comprehenderent, quædam uerba atque nomina è communi conſenſu, primis literis notabant, ut Probus tradit, & monumenta antiqua, hiftoriarum libri & numiſmata docent. De altera parte iuris ciuiliſ, quæ ius non ſcriptum appellatur, dicere non eſt animus, propterea quod in origine parũ difficultatis habeat. nã diuturni mores conſenſu utentiũ comprobati id ius conſtituunt, legesq; imitantur, tollunt aut interpretantur. Et non immerito in duas ſpecies ius ciuile Romanorum ſicut in principio libelli noſtri diximus diſtributum eſt, quoniam eius origo ab Athenienſibus & Lacedæmonijs autore Iuſtiniano fluxiſſe uidetur, & Athenienſes legibus ſcriptis Remp. magis gubernabant. Lacedæmonij autem tantum ab uſu iuris ſcripti abſuerunt, ut Lycurgus eorum legiſlator ſanctiõne conſtituerit, ſi Plutarcho credimus, ne ſcriptis uterentur legibus.

F I N I S.

r 5

AYM

AYMARI RIVAL
 LII ALLOBROGIS HI-
 STORIAE IVRIS PONT.
 LIBER SINGV-
 LARIS.

★



POSTREMO sciendum est, Con-
 stitutiones etiam Pontificibus fuisse reli-
 ctas, quæ sub nulla iuris civilis parte con-
 tinentur, sed per se ius separatum consti-
 tuunt, quod Pontificium à conditoribus
 appellatur. de quo aliquid dicendum est, quum civilem
 sanctionem sæpius ius tollat, restringatq; & eo ad ius uni-
 cuiq; reddendum frequenter utamur. Pauca tamen de hoc
 iure Pontificio referam, quia non sex partes, ut ius civile,
 sed unam tantum habet. per paucis enim diuorum patrum
 constitutionibus exceptis, è quibus pars Decreti facta est,
 solas Pontificum sanctiones continet. præterea in secundo
 iuris civilis historiae libro multa ex hoc iure explicuimus.
 Ante omnes ergo Numa Pompilius Pont. Max. creauit,
 quem omnibus præesse alijs pontificibus constitutis uoluit,
 & ei omnia exscripta exignataq; attribuit, ut in primo Li-
 uij lib. legitur, & quibus hostijs, quibus diebus, ad quæ tem-
 pla sacra fierent, cæteraq; omnia publica, priuataq; sacra
 idem rex pontificijs scitis subiecit, ut esset quo plebs con-
 sultum ueniret, ne quid diuini iuris negligendo, et peregri-
 nos asciscendo turbaretur. Voluit quoque Numa Pompe-
 lius, ut non solum cælestes ceremonias, sed iusta etiam func-
 bria, placandosq; manes idem pontifex edoceret, & quæ
 prodi

prodigia fulminibus, alio'ue quouis modo missa susciperentur, atque curarentur, in pontificis cura posuit. Ius etiam ciuile, & interpretandi scientia, & actiones populo danda tantisper apud collegium pontificum inter sacra, ceremoniasq; decorum fuerunt, ut Pomponius Iurisconsultus, Liuius, Valeriusq; & alij scribūt, dum has actiones ab App. Claudio in formam redactas Cn. Flavius scriba, & libertino patre genitus, populo tradiderit, & ius ciuile uulgauerit, ut deinceps in iure ciuili autoritate pontificum opus non fuerit. Sed postea de religione quasdam constitutiones ipsi pontifices fecerunt, pontificalesq; libros, & pleraque alia habuerunt, ut abunde satis post Ciceronem in secundo iuris ciuilis historiæ lib. retulimus. Hunc pontificatū Max. suffragijs populi etiam gesserunt imperatores, & qui uxores habebant, ut Cæsar, Mutius Scæuola Iurisconsultus, Augustus, Titus & alij complures sicut historia ubiq; docet. Et cum quatuor pontifices ab initio essent, et hi quidem patricij omnes, postmodum Oguinio plebiscito alij quatuor e plebe additi sunt, ut in plebiscitis diximus. Ius etiam pontificum subrogandorum collegio ipsorum competebat, sed postea istud ius pontificum ac aliorū sacerdotum subrogāndorum à collegijs ad populum translatum est per Cn. Domitium plebis tribunum, ut Tranquillus in Nerone auctor est, propterea quod alium quàm se in patris sui locum pontifices coaptassent. Primus autem qui Pont. Max. gesserit, Martius Martij patricij filius fuit, hūcq; Numa creauit. Ast longe post alium sanctiorem pontificatum Christus imperante Augusto natus instituit, & Petrum ore suo sacratissimo primum Pontificem, & suæ religionis Christianæ pastorem atque patrem constituit, eiq; clauis regni cælestis dedit, ac secundum Matthæum fidei nostræ scriptorem

ptorem & historicum ligandi, solucndiq; potestatem, ut quod in terris ligaret solueretq;, in caelis ligatum uel solutum foret. Aliqui post Petrum antistites populi & sacerdotum suffragijs habita imperatoris confirmatione creati fuerunt. sed postea Constantinus imperator sanctitate Benedicti secundi permotus constituit, ut in eligendo Pontifice necessaria non esset imperatoris autoritas. idem post Constantinum Adrianus tertius antistes magnus instituit. Sed deinde cum pulso Ioanne clerus populusq; Ro. Leonem octauum creassent, & adhuc mutata sententia Benedictum abrogato Leone suffecissent, Otho imperator Romanorum inconstantia pertesus, omnem eligendi pontificis autoritatem à clero, Populoq; Ro. ad imperatorem transtulit, & reiecto Benedicto suscipere Leonem coëgit, ut apud Platinam in Leone. 8. legitur. Postremo Nicolaus secundus legem in Lateranensi concilio tulit, ut si quis pecunia, uel gratia humana aut populari, militari'ue tumultu sine concordia & canonica electione Cardinalium esset in sede Petri collocatus, is non apostolicus sed apostaticus. i. ratione deficiens merito uocaretur, sacerdotibusq;, populo, & Cardinalibus deum colentibus liceret illum ut prædonem anathematizare, & quouis humano auxilio à sede apostolica propellere, atque quouis in loco si in urbe non liceret, Christianos huiusce rei causa congregare. Sub diuo Petro primo antist. Max. et suis in hoc sacerdotio successoribus complures alij minores pontifices in diuersis mundi regionibus fuerunt, quibus alij sacerdotes minimi paruerunt, & adhuc obtemperant. A Petro ultra alia instituta partem ordinationis Missæ habemus. nam post consecrationem à Christo introductam, oratione illa Pater noster usus est, quod nostri sacerdotes hodie seruant. at missæ Introitum Celestinus dedit.

dit. Grego. Kyrie eleison inuenit. Gloria in excelsis deo à Telesphoro. Chorallationes à Gelasio primo. & epistola, Euangeliumq; à Hieronymo missæ addita sunt. Alleluia uerò ex ecclesia Hierosolymitana, & Symbolum in concilio Niceno sumpta fuerunt. Mortuorum autem commemorationem Pelagius, & thus Leo tertius inuenit. Ex Innocentio primo osculum pacis in missa habemus. Sed cantationem agnus dei Sergius pontifex instituit. Et ut in missa Sanctus deus sabbaoth cantaretur, & ut soli sacrorum ministri sacra uasa tangerent, utq; corporale ex lineo panno purissimo fieret, Sixtus primus mandauit. Petrum ergo primum Pont. Max. alij deinde Antistites ordinati secuti sunt, qui autoritate dei fungentes, ab eo potestatem habentes multas pro salute hominum, & Christiana religione constitutiones dederunt, fecerunt, excogitaruntq;. quas postmodum è diuersis uoluminibus in quinq; Decretalium libros Grego. nonus per Raymundum sub congruis titulis rededit. suas quoque constitutiones illi uolumini adiecit, ut ipse testis est in epistola quam Iureconsultis Bononiæ commemorantibus scripsit. Præstat autem hæc reductio cæteris quæ Gregor. antistes Max. in uita peregerit, licet Franciscum autorem minorum, & Dominicum prædicatorum principem in deos retulerit, & licet Federicum imperatorem sæpius monuerit ut Hierosolymas recuperaret, fideiq; Christianæ hostes aggredereetur. Sed tandem inter Gregorium & ipsum Federicum ortum est dissidium, Pontificiq; fauentes Guelphi, & qui imperatoris partes sequebantur Gebellini tunc primum appellati sunt. nec longe post Gregor. quartodecimo sui pontificatus anno, mensq; tertio mortuus est, ut apud Platinam legimus. Sane post libros decretalium à Gregorio factos, nonnullæ sanctiones ab eo, & alijs

Et alijs Romanis pontificibus eidem succedentibus compositæ sunt. è quibus suis additis, Bonifacius octa. opera Guilielmi, Berengarij, & Richardi usus, sextum decretalium librum confecit, & quinq; libris à Gregorio iam ordinatis coniunxit. Hi omnes libri inter manus nostras uersantur, quare frustra constitutiones ibi positas referrem.

FVit autem hic Bonifacius octauus, si Platina credimus, natione Hernicus, qui per omnes sacerdotiorum gradus ad Pont. cum ambitionis crimine peruenit. Ludouicum Gallici regis sanguine natum, in diuorum numerum retulit. Gebellinos maximo odio persecutus est. Fugubium quoque urbem quæ Gebellinorum auspicijs ab eo descieuerat, statim recuperauit. & cum die cinerum Prochetus Genuensis antistes ad ipsius Bonifacij pedes uenisset, memento homo ait, quia Gebellinus es, & cum Gebellinis in cinerem reuerteris, neque è more in caput, sed in antistitis oculos cinerem coniecit. Centesimo quoq; anno Iubileum quo plenam omnium delictorum remissionem uisitantes Romam consequerentur, obseruari mandauit. Sed cum hominum ætas centum annorum spacium attingere non posset, Iubileum Clemens sextus haberi postea quinquagesimo quinto anno uoluit. At tandem Bonifacius in tantam discordiam cum Philippo Gallorum rege peruenit, ut suos proficisci Romam, aut illuc mittere pecuniam primum rex prohibuerit, deinde conuocatis sacerdotibus & Patricijs iniurias à Bonifacio acceptas, eiusq; ambitionem & artes quibus occupauerat pontificatum cõmemorauerit, & ad sedem apostolicam tunc sua opinione uacantem, futuramq; appellaauerit. quare pontifex dolens habito generali concilio Philippi regnum Alberto imperatori subiecit. Tum Philippus prætextu sue appellationis publicã de Sarram Columnensem

sem timore pontificis latentem cum Nogaretio Gallo equite fidelissimo Romam misit, quorum Bonifacius studio captus est, quintoq; & trigesimo die post dolore animi confectus, octauo pontificatus anno, ac mense nono, decimoq; septimo die periit.

Rursus quia moderari causis postea dolo, & iniquitate hominum emergentibus, iura iam lata non poterant, Clemens quintus antistes magnus unum sanctionum librum composuit, quem Ioannes uigesimus eidem succedens adidit, cum morte praeuentus eum Clemens emittere in lucem non potuisset, liberq; à condentis nomine dictus est Clementinae. Et cum Vasco Clemens natione esset, eumq; Burdegala existentem Cardinales Perusij antistitem magnum creassent, Burdegala cuius antehac episcopus erat Lugdunum profectus, conuocatisq; illuc Cardinalibus, Pontificatus sedem in quatuor & septuaginta annos in Gallias transtulit, treis cardinales qui urbem & Italiam gubernarent, cum senatoria potestate Romam misit. Huius Pontificis tempore Templarij qui prius Christi milites erant, à nostra religione ad unam superstitionem defecerunt, ea propter qui ex eis comprehendi poterant, interfecti fuerunt, ipsorumq; bona partim Hierosolymitanis militibus qui paulo ante insulam Rhodum occupauerant, partim nouis religionibus à Clemente attributa fuere, ut Platina autor est. Celestinum quintum approbatis eius miraculis in sanctos retulit, ut motus Italici comprimerentur, Henricum à Germanis imperatorem electum hac lege confirmauit, si intra biennium Italiam ingrederetur, & Romam captum coronam iret, quod imperator & pollicitus est, & fecit. Octauo pontificatus anno, mense decimo, ac quintodecimo die Clemens mortem obiuit. Adhuc sanctionibus praedictis non
suffi



sufficientibus post sextum decretalium librum, alij quoque Pontifices Maximi, ut Ioannes uigesimus secundus, Bonifacius octauus, Benedictus undecimus, & plures alij extraordinarias aliquot constitutiones ædiderunt. Sed & hodie unusquisq; Max. antistes post suam creationem nos ligat præceptis & constitutionibus, quæ omnia habemus, seruamus, & tenemus. Inter pontificales libros est etiam unus quod Decretum è nostris Iurisperitis appellatur, & præclara sanctorum aliorumq; dicta præcepta ue continet.

Hæc sunt quæ deo optimo maximo suffragante suscepturus eram de historia ciuilibus ac Pontificij iuris.

*

F I N I S.



Ob. 6. n. 3359

